FALSÆ DE

COLLOQVIO
NTER REVEREN-
ISSIMVM EPISCOPVM
BROICENSEM CATHOLICVM,
ET DOMINVM DV PLESSIS,
Caluinianæ Sectæ Ante-
ſignanum,

)RAM CHRISTIANISSIMO
RANCORVM REGE, PLVRI-
ꝗ; regni Proceribus in Fontaine-bleau habito,
Pleſſiæ Narrationis Refutatio, variorumꝗ;
Catholicæ Fidei dogmatum Pro-
pugnatio:

LLICE ANTEA PER EVNDEM
REVERENDISSIMVM EDITA: NVNC
verò, in cæteri Chriſtiani orbis vtilita-
tem, Latinè conuerſa

ER IACOBVM COVTHONVM
BVRGVNDVM.

MOGVNTIÆ.
E Typographeo Ioannis Albini.
Anno M. DCIII.

Crux, rota, mitra, pedum, gladius, trabs, cornua, PRINCEPS.
Sunt soliј & generis symbola pulchra Tui.
Hinc rota se ostentat; gemmāti hinc cornua mitræ:
Iunguntur& pedo cornua; mucro rotæ.



Cūcta Tuis trabibus, PRÆSVL, *subnixa cohæret:*
Nam sacra constanti Principe regna vigent.
Cornua iure pedi, gladioq; instructa Tiara,
Mobilis arcebunt tela minasq; rotæ.
Quæ super irradiat clementibus auspicijs Crux,
Si patienda dabit, & dabit auxilium.

REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

DOMINO D. IOANNI ADAMO, S. Sedis Moguntinæ Archiepiſcopo, Sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellario, Principi Electori, &c. Domino ſuo Clementiſſimo.

CRamben, REVERENDISSIME ET ILLVSTRISSIME PRINCEPS, recoqui vetus vetat prouerbium. Vt idcirco de libelli huius cauſa & argumento, de Latina eius conuerſione, de diſputationum cum hæreticis modo & fructu, nihil apud REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. CELSITVD. TVAM

mihi iam dicendum ſit. Nam ſi, vt à Poëtarum quodam dictum,

Occidit miſeros crambe repetita Magiſtros;

Iuu. Sat. 7.

quanto viris Principibus moleſtior & ingratior tautologia? Cum enim ad Eccleſiæ, Reíque publicæ clauum occupàtiſsimi ſedeant, ijs, inani loquacitate, temporis aliquid, in his præſertim tantis difficillimorum temporum procellis; ſurripere, annon peculatus, ſacrilegiumq; aliquod? Hoc igitur nunc bonâ Tuâ, REVENDISS. ET ILLVSTRISS. PRINCEPS, *tantùm dicam veniâ, meis me promiſsis ſtare: duabuſque de rebus admodum gaudere. Vna eſt, quòd mea illa prior ad* REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. CELSIT. TVAM *προσφώνησις, tota pœnè è S. Auguſtini ſententijs ac verbis contexta fuerit. Nam quo die illam per Gen. Adoleſcen-*

ſcentulos meos offerre coràm licuit, demonſtrârat eadem REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. TVA CELSIT. *quanta in magnum illud Eccleſiæ lumen columenq́ue pietate ac obſeruantia ferretur, dum exemplo inſigni ac nouo, die illius feſto, in ſacram eius ædem, ad ſolennia eius ſacra, mirantibus gaudentibusq́ue omnibus, venire, orationem de præclaris illius benefactis audire, totamq́ue Academicam, quæ ob Theologici Decani electionem, eo die habetur; panegyrin celebrare, multoq́ue religioſiorem ac ſplendidiorem efficere dignata eſt. Altera res eſt, quòd opellæ illud meæ præmeſſulum* REVERENDISS. AC ILLVSTRISS. CELSIT. TVÆ, *gratũ extitiſſe, verbis, donisq́ue (licet verè ſanctéq; dixerim, præter meum, meorumq́ue Adoleſcentulorum, erga eandem* REVERENDISS. ET ILLVSTRISS.

CELSITVD. TVAM debitissimum obseruantiæ summæ officium; istiusmodi à me spectatum, exspectatumq; nihil) ostenderit. Et Sanctus quidem Hieronymus, cum cerasa dono accepisset nonnulla, ea interpretanda, virginalisq; in ijs verecundiæ symbolum censuit considerandum. Me igitur, quid in annulo, & annulo, è tanti PRÆSVLIS exerto digitis, quid in eximio, cuius idem S. Pater semel ac iterùm vim & significationem descripsit; adamante, non consentaneum facere? Faciam, quod alia in re monet Plato; Sacrosancta, quæ hisce aduersus hæreseos libellis propugnantur, Catholicæ fidei dogmata, semper ἀδαμαντίνως ἕξω: laudatissimum REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. CELSITVD. TVÆ nomen, non vt apud Claudianum Iupiter, sed, vt apud Hieremiam Deus noster, adamante con-

Epistol. ad. Eust. de accep. mu.

In Amos c. 7 & Zach. 7.

Libr. 10. de Repub.

Cap. 17. v. 1.

connitar notare : ipsumque imis obsecrabo precibus, vt in grauissimo Pastorali Principalique R E V E R E N D I S S. E T I L L V S T R I S S. C E L S. *munere ac dignitate, det, quod Ezechieli Prophetæ se ait dedisse, adamantinum. Moguntiæ, in Catholica & celebri Academiâ Tuâ, ipso S. Thomæ Aquinatis, anno* cIↄ Iↄ cIII.

Ezech. 3.9.

Reuerendissimæ & Illustrissimæ

Celsitud. Tuæ.

Seruus humillimus

Iacobus Couthonus.

DE LIBRI HVIVS AVCTORE PAVCVLA, E multis Eulogia.

ECCLESIASTICVS NOSTRI TEMPORIS Polyiſtor hyperiſtor, Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Cardinalis BARONIVS *in Eccleſ. Annal. Tomi Decimi Appendice, pag. 945. edit: Romana.*

HIs neceſſariò, *inquit,* addenda putaui, quæ Romæ accepi à noſtro Henrico Spondano Gallo Vaſcone Typographiæ Vaticanæ in correctione edendorum librorum inſeruiente, viro ſanè integra fide, & doctrina conſpicuo, qui teſtatus eſt, ſe accepiſſe à IACOBO DAVY DE PERRONIO EPISCOPO EBROICEN-

CENSI, QVEM HOC NOSTRO SÆCVLO IN OMNI GENERE LITTERARVM QVISQVE IVRE VOCABIT ANTISTITEM &c.

Iterumq; pag. 947.

AD dictorum omnium Græcorum Auctorum excusationem dici posse existimauit DOCTISSIMVS IACOBVS DAVY EPISCOPVS EBROICENSIS Librariorum potiùs fuisse vitium &c. Ita ipse PIO SEMPER ANIMO QVÆRENS QVOMODO QVEMQVE EXCVSET, MAGIS QVAM ERRORIS ARGVAT &c.

PETRVS VICTOR CAIETANVS IN LIBRO de linguis Arabica, Armena, Syra & Æthiopica, pag. 71.

Euerendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Ebroicẽſis Epiſcopus, me ſupra modum recreauit: ſcilicet cum Sanctiſſimus Pater illi conceſſiſſet vtendum, ad orientalium linguarum ſtudia, Iuuenem Armenum cognitione earundem alijſque dotibus ingenij præclaris nobilem, D. Thomam Angelum Armenum: quem ſapientiſſimus Pontifex, & ſalutis humanæ cupientiſſimus è media curauit Armenia ad ſe adducendum Romam, vt illius ope aliquando & Perſicè & Arabicè docti Theologiæ ſacræ candidati præter Armenum idioma, audeant illas regiones adire ſub auſpicijs CHRISTI Domini,

mini, ac iussu Sanctissimi Patris: & illas gentes ab Alcorani fœdis erroribus, sibi, CHRISTO inquam Domino & Ecclesiæ vindicare, & velut in manus sacras Sanctissimi Patris denuo asserere conentur &c.

Rursum pag. 72.

NON defuit ergo sibi ipsi, in eodem promerendi regni Dei desiderio REVENDISS. D. EBROICENSIS, qui summis precibus contendit, efflagitauit, ac tandem obtinuit à Sanctiss. Pontifice, vt doctissimum Iuuenem, secum in hunc nostratem orbem deueheret.

Et pag. 75.

NEC me spes deficit fore, vt aliquem profectum, in Ægyptiaca lingua breui edamus: cum sit nobis præ manibus, ipsissimum Pontificis Sanctissimi exemplar Ægyptiacum manuscriptum, continens Beati Pauli Epistolas: quod etiam Beatissimus

ſimus Pater pro ſua paterna pietate. DOMINO REVERENDISSIMO EBROICENSI COMMODAVIT, PRÆSVLI NVNQVAM SATIS LAVDATO, OB STVDIVM OMNIGENÆ ERVDITIONIS INDEFESSVM.

Denique pag. 191.

FATEMVR nos libris, quorum mentionem ſuprà fecimus, adiutos fuiſſe à REVERENDISSIMO DOMINO EBROICENSI ORNATISSIMO PRÆSVLE.

MATE-

MATERIARVM PRÆCIPVARVM SYLLABVS.

ERRATA.

Pagina 12. lege, contemptum. 36. benedictionis. 70. in corpus. 73. lectorum. 78. κοινοὶ. 81. perfectiorem. 124. conſequentium. 137. per Prophetam. 138. infeſto. 139. inundauerant. 143. nimio plùs, quàm. 191. ſimulachrum differentiam conſt. Ib. voluerit. 194. ἐν ταῖς &c. include ( ). 212. habita. 225. προσκυνεῖτε. 260. græca includ. ( ). & del. interp. antè & pòſt. Ib. ἀφίκετο. 262. κηρύσσεται. 263. Carthagine. Ib. deſignati. 291. del. quidem. 306. continuatum. aliquot locis pro, ξ, leg. ζ. 340. Principiale. ib. principiali.

A D

AD BENEVOLVM LECTOREM.

QVOD differtur, non aufertur. *Proditura hæc erat, superiore mercatu Responsio, vnà cum ipsa Colloquij Narratione: sed tùm angustijs temporis compressa latere huc vsq; coacta est. Factum id fuisset Auctoris exemplo, qui vtramque eodem tempore edidit. Hinc est, quòd ita hanc exordiatur, vti cum illa connexam. Quæ hîc exordiendi ratio, tametsi nō admodum quadrare videatur, tamen ideo conseruata est, vt tantò fidelius quidquid ille scripsisset, exprimeretur. Quòd tamen illud factum non sit, nihil inde, spero, vtilitati tuæ decedet. Nam ex huius vnius Confutationis lectione, Colloquij illius euentum cognosces; & quidquid in eodem tractatum fuit, multo hîc pleniùs accuratiusque explicatum inuenies.*

Vnde

Vnde etiam disces, si fortè id nondum perspectum habes, quàm parum fidei habendum sit ijs, qui tam mala fide veterum Patrum testimonijs, instabilem suam stabilire Fidem moliuntur. Græcorum sententias Scriptorum, qui hîc laudantur, ideo visum est contextui orationis, quamuis id necessarium non esset, intertexere, vt si de Interpretum fide cuipiam veniret in mentem dubitare; is in promptu haberet, cui sine dubitatione assentiri posset. Cæterùm eas Latinè tantùm legentibus facilior ipse orationis cursus fortasse videbitur. Vale.

FALSÆ

FALSÆ COLLOQVII NARRATIONIS CONFVTATIO.

POST interruptum hoc Colloquium, & post Domini du Plessis abitum duobus circiter mensibus, prodijt in lucem exiguum quoddam scriptum illusionibus, fucis, & inuectiuis plenum; hoc titulo: *Vera Narratio Colloquij de Fõtaine-bleau:* quod idem Dominus du Plessis edidit, celato nomine & dissimulato; vt personatus in scenam prodire; & quod sibi videretur, Lectoribus imponere sine rubore posset. Quæ narratio summatim in triplici rerum genere consistit: Quædam quasi ad filum & contextum historię pertinent: Quædam, obseruationes sunt recens aut ab ipso

aut ab ipsius amicis excogitatæ, vt quod tunc in campo tueri non potuit, nunc certamine peracto, absens defendere conetur: Quædam deniq; sunt Recriminationes, quas aduersus Decreti auctorem, atque aduersus Episcopum Ebroicensem proponit, aut se putat proponere, vt se de Catholicis vindicet, ostendatq; se non esse solum, qui falsitates in libros suos referat.

Jam quod ad seriem rei gestæ attinet, præter perpetuò deprauatam modi, quo res acta est, narrationem, præter commodas & supra modum fauentes ipsi delatas conditiones silentio suppressas, præter manifestas & intolerabiles iniustitiæ calumnias, quam Regi, Domino Cancellario, Dominis Arbitris imputat: omnia in ea funditus ita peruersa corruptaque sunt, vt nihil inde aliud iudicari possit, quam eum, quibus fulcris causam suam stabilierat, ijsdem collapsam instaurare voluisse. Vt, exempli gratia: Cùm agit de ingressu in disputationem

D. du Plessis, 3. editione p. 34

nem de loco S. Chrysostomi in Epistolam ad Thessalonicenses, dicit Episcopum Ebroicensem obiecisse, quòd hæc verba omisisset: (*si simus negligentes.*) Quod Episcopus Ebroicensis ipsi nec obiecit, nec obijcere potuit: Nam in loco S. Hieronymi, nō S. Chrysostomi, hæc causula habetur: Sed hoc obiecit illi, eum S. Chrysostomo imponere, quòd dixisset, *Sanctorum orationibus non nitendum, sed salutem nostram cum timore & tremore operandam esse*, pro eo quòd S. Chrysostomi verba hæc essent; ταῦτα τοίνυν εἰδότες, μήτε καταφρονῶμεν τῶν εὐχῶν τῶν ἁγίων, μήτε τὸ πᾶν αὐταῖς ἐπιῤῥίπτωμεν· τοῦτο μὲν ἵνα μὴ ῥαθυμῶμεν, καὶ εἰκῆ ἐνεδρευώμεθα· ἐκεῖνο δὲ, ἵνα μὴ πολλοῦ κέρδους ἐκπέσωμεν· ἀλλὰ δὲ παρακαλῶμεν εὔχεσθαι ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ χεῖρα ὀρέγειν· καὶ αὐτοὶ ἐχώμεθα τῆς ἀρετῆς. [a] *His itaque cognitis, nec Sanctorum preces contemnamus, neque totum in illas proiiciamus: hoc quidem, ne desideamus, ac temerè insidiis opprimamur: illud verò, ne extra multum lucrum & profectum excidamus; sed oremus etiā vt pro nobis precentur,*

[a] *S. Chry. in 1. ad Thess. c. 1. hom. 1.*

tur, manumq́; porrigant, adhæreamusq́; & ipsi virtutis studio. Cũ rei nodũ attingit aut se fingit attingere, dicit existimatum fuisse, orationem S. Chrysostomi in ista homilia ad preces mortuorum sanctorum pertinere: & ex hac ignorantia (sic ille dignitatem eorum qui intererant, indigitat) applausus esse consecutos. Pro eo, quod applausus facti sint non in isto articulo, neque in homiliam in priorem Thessalonicensium, quam Dominus du Plessis citauerat, sed in articulo proximè insequenti, atq; in homiliã posterioris ad Corinthios, quã Episcopus Ebroicensis adduxerat, vbi S. Chrysostomus de sanctorum mortuorum orationibus nominatim agit hisce verbis: καὶ γὰρ αὐτὸς ὁ τὴν ἁλουργίδα περικείμενος, ἀπέρχεται τὰ σήματα ἐκεῖνα περιπτυξόμενος, καὶ τὸν τῦφον ἀποθέμενος ἕστηκε δεόμενος τῶν ἁγίων, ὥστε αὐτοῦ προστῆναι παρὰ τῷ θεῷ· καὶ τοῦ σκηνοποιοῦ, καὶ τοῦ ἁλιέως, προστατῶν, καὶ τετελευτηκότων, δεῖται ὁ τὸ διάδημα ἔχων. τολμήσεις οὖν, εἰπέμοι, τὸν τούτων δεσπότην νεκρὸν εἰπεῖν, οὗ οἱ οἰκέται, καὶ τετελευτηκότες, προ-

d.Plessis 3 edit. p. 38.

προσεύχεται τῷ   , οἰκοδόμος βασιλέων εἰσί;

a *Nam & ipse illa purpura indutus peregrè proficiscitur, sepulchra illa complexurus: & fastu posito consistit Sanctos rogans, vt sibi apud Deum patrocinentur, & tabernaculorum artificem ac piscatorem patronos etiã mortuos precatur ipse diadema gestans. Audebisne igitur, dic quæso, horum Dominum dicere mortuũ, cuius famuli ẽt mortui hui⁹ mundi Regum sũt patroni?* Quem locum, & quidquid in eum dictum fuit, Dominus du Plessis, vti & cetera omnia quæ obsunt, ingenioso silentio prætermittit.

a S. Chry. in 2. Cor. c. 12. hom. 26.

Cùm Dominorum Arbitrorum de hoc eodem articulo sententiam attingit, negat eos iudicasse aliquid illic omissum esse: Pro eo quod hæc vnanimis omnium Dominorum Arbitrorum de hoc loco sententia fuerit, à Domino Cancellario pronunciata, & à Secretarijs in commentarium relata his ipsis verbis: OMISIT QVOD POSITVM OPORTEBAT.

Dominus Plessius 3. edit. p. 36.

Cùm refert historiam loci S. Chrysostomi in S. Matth. vt Dominos Ar-

Dominus Plessius 3. edit. p. 46.

bitros ignorantiæ, qua [illegible]is imponit, conuincat, dicit eos tandem iudicasse, verba Homiliæ S. Chrysostomi in S. Matthæum, de sanctorum vita functorum orationibus intelligi debere. Qua de re ipsi nunquam locuti fuerunt, vti nec id in eum finem Episcopus Ebroicensis concluserat; sed id tantummodo pronunciarunt (& huic rei Secretariorum Indices fidem adstruunt) nec plus nec minus quã in superiore articulo; OMISIT, QVOD POSITVM OPORTEBAT.

Dominus Plessis 3. edit. p. 48.

Cùm reiecto post tergum scuto conatur ictum effugere, quo propter truncatum & adulteratum S. Hieronymi locum in Ezechielẽ impetitur, quem ipse aduersus inuocationem Sanctorum adducit, dicit Episcopum Ebroicensem noluisse alium eiusdem S. Hieronymi locum in Epistola ad Galatas, quod ipse vrgebat expendere, qui in suo libro pòst paullò in hũc modum citabatur: *Cùm ante tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, nec Noë rogare poterunt pro quoquã:* Pro eo quòd

quòd Episcopus Ebroicensis ei regessit, Jllud *Tribunal Christi* isthic, imò ex vsu ipsius scripturæ Iudicium extremum significare: Imò verò etiam ei hoc obtulit, si ordinem in deligendis ab ipso in articulis institutũ, pro istius & sequentium examine interrumpere vellet, se in reliqua ista sola pagina quattuor eximias falsitates demonstraturum. Quod ipse recusauit, inceptumq; ordinem prosequendum esse respondit.

Cùm contextus S. Cyrilli examen retentat, quem ipse contra Crucis adorationem citauerat, ait, Regem agnouisse nullam in isto loco fraudẽ commissam obijci posse, cùm sublata voce diceret: *Pro vtraq; parte rationem esse*: Pro eo quòd Rex planè contrariũ pronunciauit, *Ex S. Cyrilli verbis in eo contextu quem Dominus du Plessis attulerat, confici non posse vel Christianos Crucem adorare, vel non adorare*. (Quod erat apertè ipsum condemnare, qui S. Cyrillum dicere in eo loco affirmauerat, CHRISTIANOS NEC ADO-

Dominus du Plessis 3. edit. p. 52.

RATIONEM NEC REVERENTIAM VLLAM SIGNO CRVCIS EXHIBERE.) *Sed ex Iuliani aduersus Cyrillum obiectione colligi posse, ipsos adorare: Nō enim hoc illis exprobrasset nisi verum fuisset, cum aliter se ridendum præbuisset.*

Dominus du Plessis 8. edit. p. 51.

Cùm obiectionem, quæ ex S. Ambrosij verbis in hoc articulo vsus fuit, retractat; ait, se Episcopo Ebroicensi paratum professum esse, ad ostendendum distinctionem Adorationis, quam adferebat, friuolam, & tā Scripturæ quàm Patribus incognitam esse: Sed Episcopum Ebroicensem nūquā eò ingredi voluisse. Pro eo quod Episcopus Ebroicensis reposuit, eam & in scriptura & in ipsomet S. Ambrosio fundatam esse: Et pro probatione de scriptura, [a] Arcæ fœderis exemplum attulit, cuius adorandæ & vsum & præceptum habebant Israëlitæ: At hoc adoratione non absoluta, Relatiua igitur. Cui rei, præter [b] Actorum narrationem, ducenti homines qui tum interfuerunt, & hoc peculiare caput notarunt, testes esse possunt.

[a] *Ios. 7. Psal. 98. vel Hebr. 99. 1. Par. 28. Bib. Gen. 1588. in Psal. 99.*

[b] *Vid. Act. Colloq. p. 28.*

Cùm

Cùm de hoc eodem articulo sententiam format, ait, Dominum Cancellarium pronuntiasse simpliciter, VERBA IN S. CYRILLO NON REPERIRI, *satis innuendo*, inquit, *inferendum, sententiam nihilominus reperiri*: Pro eo quod à Domino Cancellario, dominisq; Arbitris prolatum & his ipsis verbis in commentarium relatum fuit: LOCVM A DOMINÓ DV PLESSIS CITATVM IN S. CYRILLO NON REPERIRI.

Dominus du Plessis. 3. ed. p. 52.

Cùm repetit disputationem articuli ex Theodoreto aduersus Idola, aut, vt ipse loquitur, aduersus Imagines, adhibet Ecclipsin & in obiectione Episcopi Ebroicensis contra ipsum, & in contextu Theodoreti, & in D. Cancellarij de hoc eodem loco sententia, horum verborum QVAE TANQVAM DII ADORANTVR, in quibus obiectionis neruus ipse consistit: & eorum vice in Dñi Cancellarij sentẽtia repetit hæc, *QVÆ à GENTILIBVS ADORANTVR*. Nam ipsamet Secretariorũ conscripta Relatio sic habet: *DOMINVS CANCELLARIVS PRONVNTIAVIT: LO-*

Dominus du Plessis 3. ed. pag. 60. & 65.

 CVM

CVM ISTVM NON DE CHRISTIANORVM IMAGINIBVS, SED SOLVMMODO DE GENTILIVM IDOLIS DEBERE INTELLIGI, VT EX HIS VERBIS PATERET, QVÆ AB ETHNICIS ADORANTVR, ET, QVÆ TANQVAM DII ADORANTVR, QVÆ OMISSA FVERVNT.

Verùm quandoquidẽ omnes hę & eiusmodi aliæ falsitates, quib. scriptũ illius q̃ verbis refertius est, satis & nuda Actorũ lectione refelluntur, & oculis auribusq; ducentorũ idoneorũ testium, q rei gerendæ interfuerunt; ijs ego hunc tractatũ nõ onerabo; satisq; mihi erit vnicã tãgere, quæ, quia tot spectatorũ splendore illustrata nõ fuit, confutatione magis indiget.

Dominus du Plessis 3. ed. pag. 39.

Est autem quod inquit, vt se, quòd Scotum legere nõ potuerit, excuset, quem de nomine tantum nouerat, faciem eius eò vsque viderat nunquã, Episcopũ Ebroicẽsem fallacia Scholastica tunc erga se vsum esse, Quòd videlicet, inquit, de nocte exemplum Scoti alia editione sibi miserit, & postridiè

ſtridiè in congreſſu alia propoſuerit.

At de hac cõtrouerſia inter Dominum du Pleſſis & Epiſcopum Ebroicenſem iudicet Deus. Interim Domini Bertant, de Beaulieu, de Berulle, de Salettes, alijq; Epiſcopi Ebroicenſis neceſſarij, qui eum Pariſiis in Fontaine-bleau comitati fuerãt, coram hominibus atteſtabuntur, inſignem eam eſſe impoſturam; neque Epiſcopum Ebroicenſem vllũ eò Scoti exemplum conferri curaſſe, præter vnicum, quod à Sorbonna commodatum acceperat, editionis Jodoci Badij Aſcenſij in folio, anni 1519. eò quòd hic auctor in vrbibus proteſtãtium impreſſus non eſſet. Nam de eo, quod Dominus du Pleſſis tangit, ſe iam tum ea de re conqueſtum eſſe: qui tùm adfuerunt, in memoriam reuocare poterunt, illud non eſſe factũ; neque eum, vt ſtuporem ſuum excuſaret, quicquam vnquam aliud dixiſſe, quàm eos non eſſe libros ſuos. Et quod addit, Epiſcopum Ebroicenſem de eo poſtmodùm gloriatum eſſe; id lecto-

Dominus du Plessis in præfatione sua respõsionis ad doctores, p. 6.

lectores tam verisimile inuenient, quàm quod alibi dicit, Patrem Archangelum Capucinum aduersus deprauatum quendam libri ipsius locũ disputantem pro rationibus suis attulisse, *Quod Euangelista incidisset in modicam falsitatem*: Iudicabuntq; Dominũ du Plessis multò melius facturũ fuisse, si, quod Scoti contextum tametsi venusto satis & crasso charactere legere non posset, ingenuè & bona fide confessus esset, inde fieri, quod non satis diu Gymnasium triuisset, neq; Scholasticorum in scribendo compendia addidicisset; quàm quòd nuditatem suam ficuum foliis occultet, & ignorantiam suam calumnia cooperiat.

Quod ad noua consilia & argumẽta attinet, quæ illi subsidio venerunt, tã illa debilia, infirma & misera sunt, vt misericordiã potius aut cõtentum quàm responsum mereantur. Nihilominus ne ille de hoc Ticinẽsi subsidio glorietur, neúe Thersitas suos esse Achilles putet, è re fuerit, singula ordine ad cominus decertandũ producere.

Cùm

Cùm igitur primi articuli, qui fuit *Dominus* è Scoto, diſputationem reuocat, ait *d.Pleſſis ſ* in editione Scoti impreſſa Pariſiis *edit.p.24.* per Granion è regione horum verborum. *Quantum ad iſtum articulum*, vel vt habent exempla Badij, *ad iſtud argumentum, non videtur neceſſarium fugiẽdum eſſe ad Tranſſubſtantiationem, &c.* in margine hanc eſſe notationem *Reſolutio Scoti.* Jam quo pacto hoc ipſi medetur? *Scot.in 4. ſent. diſt. 10.q.1.* Eſt quidem re vera Scoti reſolutio: ſed non eſt reſolutio ſuper illo capite quod erat controuerſum: An, videlicet, Chriſti corpus realiter ſub ſpeciebus contineretur: Minùs etiam ſuper illo capite, de quo Dominus du Pleſſis volebat eſſe quęſtionem; vtrum, ſcilicet, panis in corpus Chriſti tranſſubſtantiaretur. Non enim Scotus hanc controuerſiã, nempe, *an panis in corpus Chriſti conuertatur*, decîdit, niſi in diſtinctione vndecima, & decima, duodecimáue quæſtione ab iſtius notationis loco. Sed eſt reſolutio Scoti in hac alia controuerſia, vtrum videlicet modus efficiendi,

vt

vt Christi corpus de nouo aliquo in loco existat absque motu locali, pręcisè dependeat à Transsubstantiatione: id est, vtrum possibile Deo non esset facere, vt Christi corpus simul in cœlo & in Eucharistia pręsens existeret, aliter quàm per Transsubstantiationem. Scotus enim cùm sibi tres præcipuas de Eucharistia disputationes proposuisset. Primam, vtrum Christi corpus realiter sub speciebus sacramentalibus contineretur: Alteram; Quemadmodum possibile esset, vt contineretur: Et tertiam, Quo modo de facto & actu contineretur, tres etiam diuersas in his tribus disputationibus format conclusiones.

Scot. in 4. sent. dist. 10. quæst. 1. part. 1.

De prima ergo, in qua quæritur, An Christi corpus realiter sub speciebus contineatur, pronuntiat, corpus Christi esse ibi verè realiter, esse simpliciter de substantia fidei: Et quæ Dominus du Plessis ipsi in contrariũ argumenta imponit, refutat, quippe cùm ea non sua sed Hæreticorum argumenta sint, quæ ipse sibi hoc vno consi-

consilio obiecerat, vt impugnaret. De secunda verò, quemadmodum fieri posset, vt contineretur: An videlicet necessarium sit, vt id solùm per Transsubstantiationem fiat; an verò possibile sit, vt id fiat absque Transsubstantiatione; concludit, non esse necessarium, id est, non esse de necessitate absoluta, & in qua Deus dispensare non possit, vt per Transsubstantionem id fiat, sed fore Deo possibile, si vellet, facere, vt id absq; Transsubstantiatione fieret. De tertia denique, Quo modo, nempe, actu & de facto ibi sit; decîdit, esse per Transsubstantiationem, hoc est, per conuersionem totius substantiæ panis in totam substantiam corporis.

Ibid. dist. 10. quæst. 1. part. 2.

E regione igitur loci secundæ disputationis, in qua Scotus aduersus eos agit, qui ipsi nimis angusta necessitate videbantur Deo ligare manus, cum negarent ei possibile esse facere, vt Christi corpus realiter in Eucharistia contineretur absq; conuersione substantiæ panis in substantiam cor-

poris, Scholiastes ille Impressionis Granion in margine posuit, (Resolutio Scoti.) At verò quodnam emplastrum hæc additio vulneri Domini du Plessis apponit? Definit ille propterea argumenta Hæreticorum à Scoto refutata, pro Scoti argumentis allegasse? Ipsi, quod impugnabat, adscripsisse? Ipsius obiectionem pro conclusione accepisse? quæ falsi ratio omnium falsitàtum falsissima est, aut ignorantia ómnium ignorationum ignorantissima.

[a] Addit pro eodẽ proposito à Cardinale Bellarmino reprehendi Scotum, quòd putauerit Transsubstàntiationem non fuisse [b] articulum fidei ante Concilium Lateranense: Id verum est, non erat articulus fidei formaliter, id est, non erat articulus fidei, quoad formalitatem publicæ professionis, & quoad prohibitionem, ne quis hoc ignorans excusaretur: non plus quàm Processionẽ Spiritus Sancti etiam esse ex Filio, aliaq; similia ante idem Concilium Lateranense

[a] *Dn. Plessis 3. edit. p. 25.*

[b] *In Bellar. l. 3. de Euch. c. 23. habetur, dogma fidei: & in Scoto, de substãtia fidei, quo significatur res, cuius explicita fides est necessaria. i. articulus fidei.*

nenſe pro articulis fidei publicè profitendis habebantur. Quod denuo neq; caput illud controuerſum tangit: An, ſcilicet, Scotus de reali corporis Chriſti ſub ſpeciebus exiſtentia dubitaſſet, neque illud, in quod Dominus du Pleſſis quæſtionem detorquere volebat, nempe, vtrum Scotus de Tranſſubſtantiatione dubitaſſet. Nam ad quid redire ad ſæcula, quæ Lateranenſe Concilium prçceſſerũt, vt de fide Scoti iudicetur, qui multò poſt Concilium Lateranenſe fuit, cũ is palàm & apertè profiteatur [a] poſt celebratum hoc Concilium vnumquemq; fidelem obligari ad credendum diſtinctè & explicitè Tranſſubſtantiationis articulum, vt rem quæ ſit de ſubſtantia fidei? Et reuera nec Cardinalis Bellarminus vllius illum circa fidem erroris arguit: Contrà illius propoſitiones omnes, quod ad fidem attinet, declarat extra cenſuram eſſe, dicitq; [b] fore optandum, vt modum iſtum loquendi Scoti Kemnitius, & cæteri Lutherani imitarẽtur:

[a] Scot. in 4. ſent. diſt. 11. q. 3. Dicendũ quod Eccleſia declarauit iſtum intellectum eſſe de veritate fidei, in illo Symbolo edito ſub Innocẽt. tertio in Concilio Later. &c. vbi explicitè ponitur veritas aliquorũ credẽdorũ magis explicitè quã habebatur in Symbolo Apoſt. vel Athanaſii, vel Niceno, et breuiter, qdqd ibi dicitur eſſe credẽdũ tenendum ẽ eſſe de ſubſtãtia fidei: et hoc poſt iſtã declarationẽ ſolennẽ factã ab Eccleſia.

[b] Bellar l. 3. de Euch. c. 23

nullam enim tum inter ipſos & Catholicos remanſuram cõtrouerſiam. Hoc ſolùm tangit eruditionem aut imperitiã hiſtoricã antiquitatis quæ in Scoto fuit: quam ob rem Dominus du Pleſſis nondum aſſequitur, q̀ putat. Nunquam enim Scotus exiſtimauit doctrinam de Tranſſubſtantiatione aut non veram, aut ante Cõcilium Lateranenſe non creditã fuiſſe. Quin contrà, quod ad veritatem attinet, aſſerit Eccleſiam tunc temporis doctrinam hanc elegiſſe, aduerſus duas alias, quarum vna erat, ſubſtantiam panis annihilari, & ſubſtantiam corporis in eius locum ſubſtitui, altera ſubſtantiam panis & ſubſtantiam corporis ſimul manere; eò quod vera eſſet: Atque Eccleſiam in ea re [a] ſolummodo verum ſenſum quem Deus inſtituerat, vtpote per Spiritum veritatis edoctam, expoſuiſſe. Et quoad fidem, diſertè fatetur antiquos Patres qui in decreto à Magiſtro ſententiarum citantur, ante mille & ducentos annos eandem prorſus habuiſſe, quam

[a] *Scot. in 4. ſent. diſt. 11. quæſt. 3. Dico quod eo ſpiritu expoſita ſũt ſcriptura, quo condita: & ita ſupponẽdũ eſt quod Eccleſia Catholica eo ſpiritu expoſuit, quo tradita eſt nobis fides, ſpiritu ſcilicet veritatis edocta, et ideo hũc intellectum elegit, quia verus eſt.*

quam Cõcilium Lateranense. [a] *Istud,* inquit, *tenet Ambrosius, & in Can. ponitur 1. capit. Panis in altari. Et in alio capitulo, auctor paragraphi, inuisibilis,* (EVSEBIVM EMISSENVM INTELLIGIT.) *Ad hoc etiam August. Et ponit hoc Magister in litera.* Sed hoc quidem Scotus existimauit, articulũ de Trãssubstantiatione non semper ita manifestè creditum fuisse, quemadmodum de præsentia reali; id est, non semper tanta cum claritate & euidẽtia creditum fuisse, vt si quispiam priuatus eum ignoraret, non excusaretur. Scotus enim, quo ad articulum præsentiæ realis, sentiebat eũ ita clarè & disertè in scriptura exprimi, vt ipse solus Euangelij contextus absq; vllo Interpretationis lumine satis esset, ad illius ignorationem omni excusatione priuandam. Modum verò istius præsentię realis, nempe, vtrũ is esset per annihilationem substantiæ panis, & substitutionem substantiæ corporis; an per coniunctionem substantiæ panis & substantię corporis; an

[a] Scot. repert. super 4. sent. dist. 11 q. 3. post hæc verba Concilij Lateranensis, Transsubstantiatis Pane in corpus & vino in sanguinem.

ris; an per conuersionem substantiæ panis in substantiam corporis; Scotus existimabat scripturam non ita claris expressisque verbis declarasse, quin opus esset auctoritate Ecclesiæ, ad verum sensum determinandum, obligandumq; fideles, vt eum distinctè crederẽt, proq; articulo Fidei haberent. Iam verò huius rei Synhodicam & vniuersalem Ecclesiæ determinationem Scotus antiquiorem illâ, quam Concilium Lateranense fecerat, reperiri nullam putabat. Et quantum attinet ad particularia scriptorum testimonia, tametsi ampla huius doctrinæ in antiquitate vestigia agnoscebat, tamen eorum non apparebat ipsi esse tantus numerus, vt ea ipsi Synhodicæ ac generali alicui Ecclesiæ determinationi æquipollere posse viderentur.

Erat prҿterea Scotus simplex Doctor speculatiuus, non autem positiuus; linguæ Græcæ cognitione Græcorumq; Patrum lectione destitutus, & in veterum Theologorum Latinorum

rum scriptis parùm versatus. Ac proinde mirum videri non debet, si Concilium Lateranense, quod & vicinius erat antiquitati, quàm Scotus, & ab hominib. compositum nimiò, quàm Scotus erat, antiquitatis peritioribus, & cui ipsimet præsentes intererant, Papa, Patriarcha Constantinopolitanus, & Patriarcha Hierosolymitanus; per Legatos verò suos Patriarcha Alexandrinus, & Patriarcha Antiochenus; prætereaq; Prælati alij ampliùs mille ducenti; flos omnium orbis prouinciarum, Orientalium, Occidentalium, Septentrionalium atque Meridionalium, flos omnium mundi Ecclesiarum, Latinarum, Græcarum, Africanarum, Asiaticarum; multorum luce testimoniorum monumentorumq; antiquitatis illustratum fuisset, quorum cognitioné Scotus haud quaquá assecutus esset. Neq; igitur ex consequenti obstupescendum est, si Scotus, qui decisioné Concilij Lateranensis planè pspectá habebat, doctrinę verò & fundamen-

Suppl. Chro. libr. 13. Platin. in Innocen. 3. Cent. Magd. cent. 13. cap. 9 & alij.

 torum

torum præcedentium, quibus idem Concilium nixum fuerat, ignarus Tranſſubſtantiationem non ita manifeſtè antè, ſicuti pòſt, creditã fuiſſe exiſtimauit. Scotus enim, vt Scholaſticus, viderat quidem ea Patrum teſtimonia, quæ pro hoc articulo allegauerat Decretũ, aut Magiſter Sententiarum, aut D. Thomas, aut huiuſmodi alii ſcholarum Commentarii: Sed ea quæ in Græcarum Bibliothecarum theſauris recondita erant, aut in antiquis auctorib. ſeu Latinis, ſeu è Græco conuerſis, q̃ per ſubſellia ſcholaſtica non vagabantur, nunquã viderat, quæ tamen cæteris & numero multo plura & expreſſiora erant. Vt exempli gratia.

Legerat ille quidem hoc D. Ambroſij teſtimonium ex libro de ijs qui myſterijs initiantur, ſcripto à morte Chriſti anno circitèr trecenteſimo quinquageſimo: [a] *Fortè dicas: Aliud video, quomodò tu mihi áſſeris quod Chriſti corpus accipiam? &c.* Et paulò pòſt: *Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus*

[a] *Ambr. de ijs qui myſt. initiantur. c. 9. impr. Baſil.*

bemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit; maioremque vim esse benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur? Virgam tenebat Moyses, proiecit eam, & facta est serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam & serpentis & virgæ. Et iterùm: *Quod si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant?* quòd illud & in Decreto, & Magistro sententiarum, & D. Thomæ in ore perpetuò versaretur. Legerat equidem & hoc aliud D. Ambrosij testimonium è quarto libro de Sacramentis: [a] *Panis iste, panis est ante verba sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Et paulò pòst: *Cœlum non erat, mare non erat, terra*

[a] *Ambros. libr. 4 de sacra. c. 4.*

non erat: ſed audi dicentem. Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Ergo tibi vt reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante conſecrationem: ſed poſt conſecrationem, dico tibi, quòd iam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt: ipſe mandauit, & creatum eſt. Et iterùm: *Antè quàm conſecretur panis eſt, vbi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti, &c. Et ante verba Chriſti, calix eſt vini & aquæ plenus: vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit:* Quia ijdem auctores illud mille locis aut citauerant aut notauerant. Legerat ille quidem hoc S. Gregorij Nyſſeni teſtimonium ex libro de Baptiſmo, ſcripto à morte Chriſti anno circiter CCCXL. ὁ ἄρτος πάλιν, ἄρτος ἐστὶ τέως κοινὸς, ἀλλ᾽ ὅταν αὐτὸν τὸ μυστήριον ἱερουργήσῃ, σῶμα Χριστοῦ γίνεται, τε καὶ λέγεται. [b] *Panis item, panis eſt initio communis: ſed vbi eum myſterium ſacrificauerit, corpus Chriſti & fit, & dicitur:* Aut iuxta latinam editionem Baſileenſem, *Corpus Chriſti & dicitur, & eſt:* quia D. Thomas illud in catenam ſuam in S. Lu-

[b] *Greg. Nyſ. libr. de baptiſmo.*

S. Lucam inseruerat. Legerat ille quidem hoc D. Chrysostomi testimonium ex vna ipsius homilia de passione, scripta anno circitèr CCCLX. à morte Christi: *Non enim homo est, qui proposita corpus Christi facit & sanguinē, sed ille, qui pro nobis crucifixus est Christus:* quia D. Thomas illud in catena in S. Marcum vsurpauerat. Legerat ille quidem hoc D. Cyrilli Alexandrini testimonium ex epistola ad Calosyrium, scripta anno à morte Christi circitèr CCCC. [a] *Ne horreremus carnem & sanguinem apposita Sacris altaribus: condescendens Deus nostris fragilitatibus influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis:* quia idem D. Thomas illud in catena in S. Lucam allegarat. Legerat ille quidem hoc Eusebij, qui anno à Christi morte circitèr CCCX. Episcopus Emissenus creatus est; aut potiùs, vti notauit doctissimus Cardinalis Baronius, Eucherij testimonium, qui año à Christi morte circitèr CCCC. Episcopus Lugdunensis factus est: [b] *Inuisibi-*

Chrysost. in sermon. de pass.

[a] *Cyr. ep. ad Calos. manusc. Græc. & apud Thom. in Luc. c. 22.*

[b] *Euseb. Emiss. homil. 5. de pascha.*

uiſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, verbi ſui ſecreta poteſtate conuertit: quia Magiſter ſententiarum, in cuius textum commentatur, illud paulò antè, ſuperiore capite allegarat. Legerat ille quidem hoc D. Ioannis Damaſceni, oculi Orientis teſtimonium, in ipſius opere de Fide Orthodoxa, ſcripto anno à morte Chriſti circitèr DCLXXX. & à multis ſæculis Latinè conuerſo: *σῶμά ἐστιν ἀληθῶς ἡνωμένον θεότητι, τὸ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου σῶμα, οὐχ᾽ ὅτι αὐτὸ τὸ ἀναληφθὲν σῶμα ἐξ οὐρανοῦ κατέρχεται, ἀλλ᾽ ὅτι αὐτὸς ὁ ἄρτος, καὶ ὁ οἶνος μεταποιοῦνται εἰς σῶμα καὶ αἷμα θεοῦ.* [a] *Sane corpus diuinitati verè vnitum eſt illud corpus, quod ex ſancta virgine ortum eſt: non quod aſſumptum illud corpus è cælo deſcenderit: ſed quia panis ipſe ac vinum in corpus & ſanguinem Dei immutantur.* Et paulò pòſt: *οὐκ ἐστὶ τύπος ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος τοῦ σώματος, καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, μὴ γένοιτο. ἀλλ᾽ αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου τεθεωμένον, αὐτοῦ τοῦ κυρίου εἰπόντος, τοῦτό μου ἐστὶ, οὐ τύπος τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὸ σῶμα,*

[a] *Damaſce. Orthodo. fidei libr. 4. cap. 14.*

μα, ϰαὶ οὐ τύπος τοῦ αἵματος, ἀλλὰ τὸ αἷμα. Nec verò panis & vinum corporis Christi figura sunt, (absit enim hoc) verùm ipsummet Domini corpus diuinitate affectum: quippe cùm Dominus ipse dixerit, Hoc est, non corporis signum, sed corpus, nec sanguinis signum, sed sanguis: Quia hic S. Pater, vt primus auctor Theologiæ Methodicæ, ex præcipuis Scholæ patronis erat vnus, & ex vsitatioribus atq; ordinarijs Scholasticorum studijs vnum: Sed non legerat celebre hoc in Tractatu de cœna Domini consecratũ posteritati testimoniũ sub nomine D. Cypriani, qui Archiepiscopus Chartagine in Africa cteatus est, anno à Christi morte CCXVI. id est, annis abhinc supra mille, trecentis quinquaginta: [a] *Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro:* Qui locus Petrum Martyrem coëgit exclamare: [b] *Cyprianus videtur loqui durius, quando panem hunc inquit non effigie, sed natura mutari:* Non legerat illustre illud D. Cyrilli Episcopi Hiero-

[a] Cypria. de Cœna Domini.

[b] Petr. Martyr in locis com. tract. de Euchar.

Cyr. Hierosf. catech. mystag. 4.

Hierosolymitani testimonium in Catechesibus, scriptis anno à morte Christi circitèr CCCX. Jllum enim eas scripsisse iuuenē testatur D. Hieronymus: αὐτοῦ οὖν ἀποφηναμένου, καὶ εἰπόντος περὶ τοῦ ἄρτου, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, τίς τολμήσει ἀμφιβάλλειν λοιπὸν; καὶ αὐτοῦ βεβαιωσαμένου, καὶ εἰρηκότος, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ αἷμα, τίς ἐνδοιάσει ποτὲ, λέγων μὴ εἶναι αὐτοῦ αἷμα; τὸ ὕδωρ ποτὲ εἰς οἶνον μεταβέβληκεν οἰκεῖον αἵματι ἐν κανᾷ τῆς γαλιλαίας, καὶ οὐκ ἀξιόπιστός ἐστιν οἶνον μεταβαλὼν εἰς αἷμα; *Cùm igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane, Hoc est corpus meum: quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante & dicente, Hic est sanguis meus; quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ, sola voluntate: & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutasset?* Et paullo pòst: Μὴ πρόσεχε (attende) οὖν ὡς ψιλοῖς, τῷ ἄρτῳ, καὶ τῷ οἴνῳ, σῶμα γὰρ καὶ αἷμα Χριστοῦ κατὰ τὴν δεσποτικὴν τυγχάνει ἀπόφασιν, εἰ γὰρ καὶ ἡ αἴσθησίς σοι

τοῦτ

τοῦτο ὑποβάλλει. ἀλλὰ ἡ πίστις σε βεβαιού-
τω, μὴ ἀπὸ τῆς γεύσεως κρίνης τὸ πρᾶγμα,
ἀλλ' ἀπὸ τῆς πίστεως πληροφοροῦ ἀνενδοιά-
στως. *Ne ergo consideres tanquam panem
nudum & vinum nudum: corpus enim est
& sanguis Christi, secundum ipsius Domi-
ni verba. Quamuis enim sensus hoc tibi
suggerit, tamen fides te confirmet; ne ex gu-
stu rem iudices, quin potius habeas ex fide
pro certissimo, ita vt nulla subeat dubitatio,
esse tibi donata corpus & sanguinem.* Et
iterùm: Ταῦτα μαθὼν καὶ πληροφορηθεὶς,
ὡς ὁ φαινόμενος ἄρτος, οὐκ ἄρτος ἐστὶν,
εἰ καὶ τῇ γεύσει αἰσθητὸς, ἀλλὰ σῶμα Χρι-
στοῦ. καὶ ὁ φαινόμενος οἶνος, οὐκ οἶνός ἐστιν,
εἰ καὶ ἡ γεῦσις τοῦτο βούλεται, ἀλλὰ αἷμα
Χριστοῦ. *Hoc sciens & pro certissimo ha-
bens, panem hunc qui videtur à nobis, non
esse panem, etiamsi gustus panem esse sen-
tiat, sed esse corpus Christi. Et vinum quod
à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vi-
num esse videatur: non tamen vinum, sed
sanguinem esse Christi, &c.* Vnde appa-
ret, quàm primùm Christiani bapti-
zati erant, & sacramento se Ecclesiæ
obstrinxerant, primum, quod Cate-
chistæ

chiſtæ tunc temporis, id eſt, ampliùs mille ducētos quinquaginta abhinc annos, faciebant, fuiſſe, vt illis hanc doctrinam pro articulo Fidei credendam traderent. Nam Grȩca vox Plerophoria, quæ bis illic vſurpatur, ſignificat, vti notat Caluinus in caput primum S. Lucȩ, Integram Fidei certitudinem. Non legerat pulchrum hunc locum in oratione Catechetica D. Gregorij Epiſcopi Nyſſeni in Aſia, quem Græci Patrem Patrum appellant, abhinc mille ducentis & triginta annis conſcripta, & à veteribus ſcriptoribus tantoperè celebrata: in qua ſanctum illud ſpiritus Dei organum ita loquitur, vt ſi formulam omnibus Catechiſtis præſcribat, fidemque fundet omnium Eccleſiæ Neophytorum: *καλῶς οὖν καὶ νῦν τὸν τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ ἁγιαζόμενον ἄρτον εἰς σῶμα τοῦ θεοῦ λόγου μεταποιεῖσθαι πιστεύομεν.* [a] *Rectè igitur etiam nunc eum, qui verbo Dei ſanctificatur, panem, in corpus Dei Verbi tranſmutari credimus:* Et paullo pòſt: *ὁ ἄρτος, &c. εὐθὺς πρὸς τὸ σῶμα διὰ τοῦ λόγου*

μετα-

[a] Greg. Nyſſen orat. Catech.

μεταποιέμενος, καθὼς εἴρηται, ὑπὸ τοῦ λόγου, ὅτι, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. *Panis, &c. statim in corpus per verbum transmutatus, sicut dictum est, à verbo, quod est, Hoc est corpus meum:* Et iterùm: ὁ Χριστὸς, *&c.* ἑαυτὸν ἐπσπείρει διὰ τῆς σαρκὸς, ἧς ἡ σύστασις ἐξ οἴνου τε καὶ ἄρτου ἐστὶ τοῖς σώμασι τῶν πεπιστευκότων κατακιρνάμενος. ὡς ἂν τῇ πρὸς τὸ ἀθάνατον ἑνώσει καὶ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἀφθαρσίας μέτοχος γένοιτο. Ταῦτα δὲ δίδωσι τῇ τῆς εὐλογίας δυνάμει, πρὸς ἐκεῖνο μεταστοιχειώσας τῶν φαινομένων τὴν φύσιν. *Christus, &c. seipsum inserit per carnem, cuius systasis ex pane & vino est, corporibus eorum, qui crediderunt, immixtus, vt hac ad immortalem vnitione fiat homo incorruptibilitatis particeps. Hæc verò dat ipsius benedictionis vi, in illud transelementans eorum, quæ apparent, naturam.* Non legerat eximium hunc locum in homilia prima de Paschate Gaudentij Episcopi Brixiensis, æqualis & amici familiaris D. Ambrosij, conscripta abhinc amplius mille ducentos annos, & Basileæ, studio Ministrorum Basileensium inter opera Auctorum,

quos

quos ipsi Orthodoxographos appellant, impressa: [a] *Ipse igitur naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia & potest & promisit) efficit proprium corpus. Et qui de aqua vinum fecit, & de vino sanguinem suum.* Idem paulò antè: *Modò ea solum de ipsa lectione carpenda sunt, quæ præsentibus Catechumenis explanari non possunt, & necessariò tamen sunt aperienda Neophytis:* Vnde liquet Ecclesiam iam inde à tempore Gaudentij, hoc est, annis abhincampliùs mille ducentis doctrinam hanc tenuisse pro re, cuius expressa fides, omnibus baptizatis fidelibus esset necessaria. Non legerat insignem hunc locum D. Chrysostomi, antiqui Ecclesiæ Græcæ oraculi, in eius Commentarijs in ipsum textum S. Matthæi de cœna, annos abhinc mille ducentos conscripta: οὐκ ἐστὶν ἀνθρωπίνης δυνάμεως ἔργα τὰ προκείμενα. ὁ τότε αὐτὰ ποιήσας ἐν ἐκείνῳ τῷ δείπνῳ, οὗτος, καὶ νῦν αὐτὰ ἐργάζεται. ἡμεῖς ὑπηρετῶν τάξιν ἐπέχομεν, ὁ δὲ ἁγιάζων αὐτὰ καὶ μεταποιῶν [sic: μεθασκευάζων] αὐτός. [a] *Non sunt humana*

[a] Gaudent. Brix. Episc. tract. 2. in Exodum.

[a] Chrys. homil. 83. in Matth.

mana virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cæna confecit: ipse nunc quoque operatur, ipse perficit, ministrorum nos ordinem tenemus: qui verò hæc sanctificat & transmutat, ipse est: Et in homil. de traditione Iudæ, vt in Græco est: οὐ γὰρ ἄνθρωπός ἐστιν ὁ ποιῶν τὰ προκείμενα γενέσθαι σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ, ἀλλ' αὐτὸς ὁ Χριστὸς, &c. τοῦτο μου ἐστὶ τὸ σῶμα φησὶ, τοῦτο τὸ ῥῆμα τὰ προκείμενα μεταρρυθμίζει. [a] *Non enim homo est, qui proposita facit esse corpus Christi & sanguinem, sed ipsemet Christus, &c. Hoc est, ait corpus meum: Hoc verbo proposita transmutantur*: Et in homilia de Eucharistia in Encæniis: [b] *Num vides panem? num vinũ? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? Absit, ne sic cogites. Quemadmodũ enim si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic & hic puta mysteria cõsumi corporis substantia.* Non legerat hunc locum, vel hoc fulmen potiùs Oecumenici Concilij Ephesini, in præsentia & nomine eiusdem Concilij, à S. Cyrillo Alexandrino in sui anathematis contra Nestorium vn-

[a] *Idem. hom. de tradit. Iuda.*

[b] *Idem serm. de Euch. in Enca. Imp. Basil.*

decimi declaratione pronunciatum, anno à morte Christi CCCIC. τὴν ἁγίαν καὶ ζωοποιὸν καὶ ἀναίμακτον ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις τελοῦμεν θυσίαν, οὐχ ἑνὸς τῶν καθ᾽ ἡμᾶς καὶ ἀνθρώπου κοινοῦ σῶμα, πιστεύοντες εἶναι τὸ προκείμενον, ὁμοίως δὲ καὶ τὸ τίμιον αἷμα: δεχόμενοι δὲ μᾶλλον ὡς ἴδιον σῶμα γεγονὸς καὶ μέντοι καὶ αἷμα πανταζωοποιοῦντος λόγου. [a] *Sanctum ac viuificum, incruentumq́; in Ecclesiis celebramus sacrificium, non hominis alicuius nobis similis & communis corpus: consimiliter & pretiosum sanguinem esse, quod proponitur, credentes: sed magis tanquam proprium viuificantis verbi corpus & sanguinem accipimus.* Non legerat hunc locum secundi vniuersalis Concilij Niceni in Asia quadringentis & triginta annis ante Concilium Lateranense celebrati: μετὰ δὲ τὸν ἁγιασμὸν σῶμα κυρίως καὶ αἷμα Χριστοῦ λέγονται, καὶ εἰσὶ καὶ πιστεύονται. [b] *Antitypa, post consecrationem, corpus & sanguis Christi propriè vocantur, atque ita esse creduntur:* Non legerat hunc locum Theophylacti (quem Græci alterum S. Chrysostomum vocant) in S.Mat-

[a] Conc. Eph. impress. Heidelberg. 10. 5.

[b] Conc. Nic. 2. Græc. ex Bibl. Domi. de Vulcop. & impress. Lat. Col. & Ven. Act. 6. tom. 3.

S. Matthæum, quamuis D. Thomas alium alleget illi propè ſimilem in S. Marcum: Δεικνύει, ὅτι αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου ἐστὶν ὁ ἄρτος ὁ ἁγιαζόμενος ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ οὐχὶ ἀντίτυπον, οὐ γὰρ εἶπε, τοῦτο ἐστὶ ἀντίτυπον, ἀλλὰ τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα. ἀρρήτῳ γὰρ ἐνεργείᾳ μεταποιεῖται, κἂν φαίνεται ἡμῖν ἄρτος. ἐπεὶ γὰρ ἀσθενεῖς ἐσμὲν, καὶ οὐκ ἂν ἐδεξάμεθα κρέας ἐσθίειν ὠμὸν, καὶ ἀνθρώπου σάρκα, καὶ διὰ τοῦτο ἄρτος μὲν ἡμῖν φαίνεται, σὰρξ δὲ τῷ ὄντι ἐστί. *Porrò dicens, Hoc eſt corpus meum: oſtendit quod ipſum corpus eſt panis qui ſanctificatur in altario, & non reſpondens figura. Non enim dixit, Hoc eſt figura: ſed, Hoc eſt corpus meum. Ineffabili enim operationi transformatur, etiamſi nobis videatur panis. Quoniam infirmi ſumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem; & ideò panis quidem apparet, ſed carò eſt.* Qui Theophylactus non ſolùm Baſileæ impreſſus, ſed etiam per Oecolampadium Baſileenſem Miniſtrum cõuerſus eſt. Non legerat hunc locum Alcuini, antiqui Bedæ diſcipuli, primiq; Vniuerſitatis Pariſienſis Fundatoris, ſcri-

Theophy. in Matth. c. 26.

ptum circiter annum à morte Christi DCCXXX. in eius Commentario de Diuino officio: [a] *Oratur Deus, vt hæc oblatio &c. sit quoque RATIONABLIS, vt quamuis de simplicibus terræ frugibus sumpta, benedictionibus potentia efficiatur corpus & sanguis filij Dei.* Et paulò pòst: *Et ille quidem panis, & illud vinum per irrationabile est: sed orat sacerdos, vt ille rationabiliter tractatus, & ab omnipotenti Deo consecratus, rationabilis fiat, transeundo in corpus filij eius.* Et iterum: *Consulens omnipotens Deus infirmitati nostræ, qui non habemus vsum comedere carnem crudam, & sanguinem bibere, facit, vt in pristina remaneant forma illa duo munera, & est in veritate corpus Christi & sanguis.* Non legerat hūc locum Amalarij Episcopi Treuirensis, qui tēpore Caroli Magni & Ludouici Pij vixit, in eius comentario de eodē officio Ecclesiastico años abhinc propè octingentos conscripto: [b] *Hic credimus naturā simplicem panis & vini mixti, verti in naturā rationabilem, scilicet corporis & sanguinis Christi.* Non legerat hūc

[a] *Alcuin. lib. de Diu. offic.*

[b] *Amalar. Episc. Treuirens. de offic Eccles. lib. 3. c. 24.*

locum

locum Paschasij eiusdem sæculi scriptoris, in eius Tractatu de corpore & sanguine Domini in Eucharistia: [a] *Licet figura panis & vini hîc sit, omnino nihil aliud quàm caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt.* Et iterum: *Veritas ergo, dum corpus Christi & sanguis virtute Spiritus in verbo ipsius, ex panis viniq; substantia efficitur: figura verò dum sacerdos quasi aliud exteriùs gerens, ob recordationem sacræ passionis ad aram venit.* Et in expositione verborum Christi in S. Matthæum: [b] *Respice in sacramentorum celebratione instituente B. Petro, ut credimus, qd orat Sacerdos in Canone, &c. Vt fiat,* inquit, *corpus & sanguis dilectissimi filij tui Domini nostri IESV Christi. Qua prece expleta, consona voce omnes, Amen dicimus: sicq; omnis Ecclesia in omni gente & lingua orat & confitetur, quòd hoc sit quod orat.* Et paulò pòst: *Et ideo quamuis ex hoc quidam de ignorantia errent, nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quod totus orbis credit & confitetur.* Quapropter mirandum non est, si, cùm Scotus hæc

[a] *Paschas. l. de corpore & sanguine Domini in Eucharistia, cap. 1.*

[b] *Idem in exposit. verborū Christi, Matth. 26.*

loca similiaq; infinita Auctorum omnium multis sæculis antiquiorum, Concilio Lateranensi, & publicam Ecclesiæ fidem sui sæculi suis testimoniis adstruentium nō legisset; doctrinam de Transsubstantiatione nō ita manifestè antè, vti pòst creditam, fuerit arbitratus. Sed filum disputationis nostræ resumamus.

Dominus Plessius 3. edit. p. 26.

Dominus du Plessis prosequitur & pro tertio purgationis argumento, argumenta Scoti aduersus Transsubstantiationem quaterna quinaue sic breuiter allegat: *Quòd veritas Eucharistiæ saluari possit absque Transsubstantiatione: Quòd panis repræsentet corpus Christi melius quàm sola accidentia: Quòd ex Transsubstantiatione plura inconuenientia sequantur, quàm ex aliis duabus opinionibus: Quòd mirum sit,* (Scotus habet, *Mirum videtur*) *quare in vno articulo, qui non est principalis articulus Fidei, debeat talis intellectus asseri, propter quem Fides pateat irrisioni* (In Scoto est, *contemptui*) *omnium sequentium rationem,* (id est, *rationem philosophicam & naturalem.* Nam

Sco-

Scotus quattuor ante versibus dixerat: *Videtur quòd Philosophus haberet pro maiori inconueniente, vel quicunque sequens rationem naturalem.*) Et denique; *Quòd non videtur hic articulus colligi neque ex scriptura textu expresso, neque ex manifesta Ecclesiæ declaratione, neque per euidentem consequentiam aut ex scriptura aut ex declaratione Ecclesiæ, quorum tamen aliquod ad aliquem articulum Fidei stabiliendum necessarium est.* At verò, quid hoc aliud est, quàm sibi faciem atramento lauare? An non enim iam tum illi in Colloquio responsum fuit, has esse Obiectiones, quas ipse Scotus sibi proponit, quas paullo post responsionem ad argumenta partis aduersæ repetit, & vnamquamque sigillatim ordine refutat? *Sed Scotus*, inquit Dominus du Plessis, *ita benè argumenta ista firmauerat, iis autem ita languidè atque infirmè respondet.* Reuera, possunt quidem Christianæ Religionis mysteria populariter impugnari, sed populariter propugnari non possunt: Quæ enim aduersus illa obiectiones adferuntur,

Pag. 27.

runtur, maximam partem è ratione naturali, quæ cum sensibus optimè conuenit, desumptæ sunt: at solutiones, quibus defenduntur, è ratione sumuntur supernaturali, id est, ex imperio & auctoritate Fidei, quæ cum sensibus pugnat, eosque subiugat, & pedibus conculcat. Verùm, quod Domino du Plessis leue & infirmum videtur, qui & Ecclesię auctoritatem, & promissam ei in scripturarum interpretatione Spiritus sancti assistentiã nihili facit; id Scoto videtur murus aëneus, aut potius adamantinus, in quem omnes admotæ machinæ franguntur, & quem non veretur vel sensuum obiectionibus, vel rationis naturalis argumentis, vel Philosophorum contemptui & calumnijs, vel omnibus inferorum viribus & potestatibus opponere. Quapropter cùm respondit doctrinam hanc amplectendam esse, quòd is sit verus scripturę sensus antiquorum Patrum testimonio, atque solenni Ecclesiæ declaratione nobis consignatus, solutio-

lutionemq; ſuam atq; reſolutionem hiſce verbis formauit: [a] *Dico, quòd eo ſpiritu expoſitæ ſunt ſcripturæ, quo conditæ: & ita ſupponendũ eſt, quòd Eccleſia Catholica eo ſpiritu expoſuit, quo tradita eſt nobis fides, ſpiritu ſcilicet veritatis edocta; Et ideo hunc intellectum elegit, quia verus eſt:* putat ſe omnia dixiſſe; putat, & meritò, omnis generis replicationibus ſilentium impoſuiſſe. Etenim quis eſt, cui non obturabit os auctoritas illius, de qua ſcriptum eſt: [b] *Omnem linguam reſiſtentem tibi in iudicio, iudicabis:* [c] *Gens enim & regnũ quod non ſeruierit tibi, peribit:* [d] *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui:* [e] *Vocabitur ciuitas veritatis:* [f] *Ibunt populi multi, & dicent, Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas:* [g] *Portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam:* [h] *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus:* [i] *In qua poſuit Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores & Doctores, &c. vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vẽto doctrinæ:*

[a] *Scot. in 4. ſent. diſt. 11. quæſt. 3.*
[b] *Iſai. 54.*
[c] *Idem c. 60.*
[d] *Idem ib.*
[e] *Zach. 8.*
[f] *Iſa. 2. & Mich. 4.*
[g] *Matth. 16.*
[h] *Matt. 18.*
[i] *1. Cor. 12. Epheſ. 4.*

Et [a] breuiter; *Quæ est columna & firmamentum veritatis?* Cui non obturabit os auctoritas illius, de qua S. Irenæus contra Valentinianos pronunciat: [b] *Ecclesia est vitæ introitus, omnes autem reliqui, fures sunt & latrones?* De qua S. Cyprianus contra Nouatianos pronunciat; [c] *Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem?* De qua S. Epiphanius contra aërianos pronunciat; τίς διωνήσεται θεσμὸν μητρὸς καταλύειν, ἢ νόμον πατρὸς; [d] *Quis autem poterit statutum matris dissoluere, aut legem patris?* De qua S. Hieronymus contra Luciferianos pronunciat; [e] *Poteram omnes propositionum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare.* Et alibi; [f] *Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio?* Cui non obturabit os auctoritas illius, de qua S. Augustinus ait: [g] *Non accipio quod de baptizandis hæreticis & schismaticis beatus Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua beatus Cyprianus sanguinem fudit.* Et iterum: [h] *Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod vni-*

[a] 1. Tim. 3.
[b] Iren. lib. 3. cap 4.
[c] Cypr. de vnit. Eccles.
[d] Epiph. contra Aëria-nos hær. 75.
[e] Hierony. contra Luciferianos.
[f] Idem, ep. 1. ad Damasum.
[g] Augustin. lib. 2. contra Cresc. c. 32.
[h] Idem contra Cresc. l. 1 cap. 32.

vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas. Et iterùm: [a] *In ventre Ecclesiæ veritas manet: Quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est, vt falsa loquatur.* Et iterùm: [b] *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas.* Et paulò pòst: *Qua infirmata, iam nec Euangelio credere potero.* Et iterùm: [c] *Ecclesia Catholica contra omnes hæreses pugnans, pugnare potest, expugnari tamen non potest.* Et iterùm: [d] *Nulla est securitas vnitatis, nisi ex promissis Dei Ecclesia declarata, quæ super montem constituta abscondi non potest.* Et iterùm: [e] *Si Deus eam fundauit in æternum, quid times ne cadat firmamentum?*

[a] *Idem in psalm 57.*

[b] *Idem contra epistol. fundam. c. 5*

[c] *Idem lib. 1. de Symb. ad Catech. c. 5.*

[d] *Idem lib. 3 contra epist Parmen.*

[e] *Idem in Psal. 47.*

Inde Dñs du Plessis transit ad librũ reportatorum Scoti super quartum Sententiarum, & ex eo has responsiones ad argumenta S. Thomæ profert; *Dico, quòd etiamsi substantia panis maneret, non tamen Sacramenti venerationem tolleret, nec esset causa idololatriæ, &c.* Itẽ; *Dico quòd substantia panis cum accidentibus, repræsentat meliùs* (habetur *magis*) *corpus*

Dominus Plessius 3. edit p. 28.

corpus Christi quàm sola accidentia. Et, Notate, addit Dominus du Plessis, *Scotum esse, qui illic loquitur.* Enimuerò quis dubitat? Sed multùm inter se discrepant, dicere Scotum non approbare argumenta, quæ D. Thomas pro Transsubstantiatione aliter quã per Patrum auctoritatem Ecclesiæq; decisionem comprobanda attulerat, & dicere, eum ex sua sententia approbare & pronunciare argumenta aduersus Transsubstantiationem. Nam Scotus in huius articuli conclusione cum D. Thoma consentiebat: sed in ratione probationis non consentiebat: eò quòd D. Thomas pręter auctoritatem veterum Patrum Concilijq; Lateranensis decisionem quasdam etiam alias rationes adiungebat: Scotus contrà volebat doctrinam de Transsubstantiatione hac sola de caussa necessariò amplectẽdam esse, quòd is esset verus scripturæ intellectus nobis & Patrum auctoritate & solenni Ecclesiæ decisione declaratus: Ac præter hanc omnes alias

pro-

probationes quæ ea de re allegari possent, non nisi ex coniectura & nō necessariò concludere: & consequē-ter illam per eas tantummodo reddi probabilem & non necessariam. At verò quòd inde sequatur, Scotum obiectiones aduersus Transsubstantiationem approbare & ex sua sententia pronunciare, argumentandi ratio est, quæ breuium togarum Doctoribus conuenit. Nam tantum abest, vt hoc sit, vt eas Scotus sigillatim omnes eodem loci refutet, vnde eas Dominus du Plessis allegauerat. Et vt ne hoc verbi *Dico*, quod ita magnum sonare facit, vehementer pro se facere arbitretur, ipsum hoc etiam expressiùs in omnibus locis, in quibus de Transsubstantiationis veritate loquitur Scotus, inueniet: vt inter alia in hisce: *Dico quòd benè fuisset Deo possibile instituisse quòd Christi corpus verè esset præsens, substantia panis manente, vel cum accidentibus, pane annihilato: & tunc fuisset ibi veritas Eucharistiæ, quia & signum verum, & signatum verum: sed hîc non*

Sect. in 4. sent. dist. 11. quæst. 3.

non est modò tota veritas Eucharistiæ: non enim sic instituit, vt dicunt auctoritates adductæ. Et paulò pòst: *Dico quòd non est aliquis articulus arctandus ad intellectum difficilem, nisi ille intellectus sit verus: sed si verus est & probatur euidenter esse verum; oportet secundùm illum intellectum tenere articulum, quando inquiritur in speciali.* Et infrà: *Dico quòd eo spiritu expositæ sunt scripturæ, quo conditæ: & ita supponendum est, quòd Ecclesia Catholica eo spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides: spiritu scilicet veritatis edocta, & ideo hunc intellectum elegit, quia verus est.* Item: *Dico quòd collecto pane ex fructibus terræ colliguntur omnia quæ sunt eiusdem existentis: vnde non intelligit Augustinus, quòd comedimus verum panem.* Item: [a] *Dico quòd in proposito nihil panis manet pòst conuersionem: secundò quòd panis non annihilatur.* Nam quòd ad hoc attinet, quod Dominus du Plessis oblique insinuat, [b] Cardinalem Bellarminum imputare Scoto, eum tam in responsionibus ad argumenta particularia D. Thomæ, quàm in suis obiectio-

Idem repor. super 4. sent. dist. 11. quæst. 3.

[a] *Idem in 4. sent. dist. 11. quæst. 4.*

[b] *Dom. du Plessis 3 ed. pag. 27.*

iectionibus aduersus Transsubstantiationem, suo nomine loqui, & totum ex sua sententia pronunciare; neque Scotus id facit, neque Cardinalis Bellarminus id ei imponit: Tantùm dicit, Scotum pronunciare tria; Primum, [a] *potuisse Deum efficere, ut in Sacramento verè adesset corpus Christi cum pane: &, si hoc fecisset, mysterium futurum fuisse facilius, & minus miraculorum in se continens. Quod quidem*, addit Cardinalis Bellarminus, *aliqui negant, alij concedunt: sed res*, inquit, *ad fidem non pertinet.* Alterum, *non extare locum ullum Scripturæ tam expressum, ut sine Ecclesiæ declaratione euidenter cogat Transsubstantiationem admittere.* *Atque id*, inquit iterum Cardinalis Bellarminus, *non est omnino imporbabile.* Tertium, *quia Ecclesia Catholica in generali Concilio Scripturam declarauit, ex Scriptura sic declarata manifestè probari Transsubstantiationem. Non enim potest non esse verus Scripturæ sensus, quem is tradit, qui Scripturam condidit: idem autem Spiritus sanctus est, qui & Scripturam dictauit*

[a] *Bellarm. l.3. de Euchar. c.23.*

uit

uit Apostolis, & Prophetis, & qui eam per Ecclesiam declarauit. Jam quid isthic est, quod dicere videatur, obiectiones quas sibi Scotus contra Transsubstantiationem proponebat, ab ipso ex propria sententia pronunciari, & quasi ipse eas crederet, non autem fingeret?

Dominus du Plessis p. ed. p. 27.

Sequitur paullo pòst in Domino Plessio: *Hinc Scotus concludit simpliciter, hisce verbis; TENEO CONCLVSIONEM QVIA ECCLESIA TENET: QVIA FIDES PETRI NON DEFICIET. ETIAM SVB INNOCENTIO III. ORDINATVM FVIT TENENDVM. &c. Quod est argumentum omnino euidens,* inquit Dominus du Plessis, *Ipsum & Sacramenti natura, & praecedenti fide Ecclesiae, & ipsamet Scriptura sacra aliò traduci, nisi Concilij Lateranensis decisione retentus fuisset: & consequenter, id quod ea de re dicit, non eum ideo facere, vt arguat simpliciter; sed vt ostendat, quo sua conclusio tendebat, nisi forti fræno ipse cohibitus fuisset.* Quo me vertam?

Quid

Quid faciàm? quid dicam? Illud ipſum quod Domino du Pleſſis litem intendit: Illud ipſum quod expreſſam eius cõdemnationem fert; Illud ipſum quod eum coram Deo & hominibus conuincit; tantum ille ſibi de Lectorum credulitate promittit, vt pro lucro, & cauſſæ ſuæ victoria producat. O manus! O calamus! Inde, inquit Dominus du Pleſſis, apparet inter cætera præcedentem Eccleſiæ fidem ducere Scotum aliò quàm ad credendam Tranſſubſtantiationem, atque eius concluſionem inde valdè procul abituram fuiſſe, niſi ipſe forti fræno conſtrictus fuiſſet. Et ego dico, Quòd ſi Dominus du Pleſſis tam bona calcaria habuiſſet, quàm bonum frænum habuit, neque eum animus ad duos paſſus prope metam curriculi defeciſſet, aut potiùs, niſi ipſe de induſtria locum hunc ſine truncaſſet, vt eius principio abuteretur, eum eius omnino contrarium quod dicit, inuenturum fuiſſe. Scotus enim immediatè poſt illa verba,

adiungit caussam, quæ se ad hoc credendum moueat; quòd D. Ambrosius sic crederet, quòd D. Augustinus sic crederet; quod Eusebius Emissenus sic crederet. Hæc ipsa sunt ipsius resolutionis verba; quam non, vt ipsi Dominus du Plessis imponit, languida ceruice & demissis auriculis, sed triumphos pæanasq; veritati accinens pronunciat: *Teneo igitur Conclusionem, quia Ecclesia tenet: quia fides Petri non deficiet. Etiam sub Innocentio III. ordinatum fuit tenendum,* (nempe in Cõcilio Lateranensi) *Vnde primo cap. Firmiter credimus, §. vna est Ecclesia, dicitur, CVIVS CORPVS ET SANGVIS SVB SPECIEBVS PANIS ET VINI VERACITER CONTINENTVR, TRANSSVBSTANTIATIS PANE IN CORPVS ET VINO IN SANGVINEM, &c. Istud tenet Ambrosius. & in Canone ponitur primo capitulo; PANIS IN ALTARI. Et in alio capitulo, INVISIBILIS (quod est Eusebij Emisseni, &c.) Ad hoc etiam Augustinus, Et ponit hoc Magister in Littera.*

Scot. report. super 4. sent. d. 11. quæst 3.

tera. Iamnè hinc aliquis reperietur, qui ſine rubore dicere audeat, præcedentem fidem Eccleſiæ traducere Scotum ad negandam Tranſſubſtantiationem, niſi is per Concilium Lateranenſe retentus fuiſſet? Aut potius, eritne aliquis, qui inde non omnino contrarium iudicet, Scotum ſenſiſſe doctrinam de Tranſſubſtantiatione in omnibus terrę regionibus annis ante Concilium Lateranenſe ampliùs octingentis creditam fuiſſe? Nam S. Auguſtinus Africanus erat, abhinc mille ducentis & ſex annis Hipponenſis Epiſcopus in Africa creatus: Et S. Ambroſius Europæus erat, abhinc mille ducentis & viginti ſeptem annis Mediolanenſis Archiepiſcopus creatus: Et Euſebius Emiſſenus, quem Decretum, & Magiſter Sententiarum, & Scotus citant pro auctore paragraphi, *Inuiſibilis*, Aſiaticus erat, abhinc mille ducentis & ſexaginta annis Emiſſenus Epiſcopus in Aſia creatus. Et ſi Dominus du Pleſſis ſiç illudit in ijs quæ ad ſui purgatio-

Scot. in 4. ſent. diſt. 11. quæſt. 1.

gationem adfert, quid eum fecisse credibile est, in ijs propter quæ accusatur? *Si hæc fiunt in viridi, in arido quid fiet?*

Dominus Plessius 3. edit. p. 89.

Idem Dominus du Plessis telum reparat, & allegat Soto Doctorem Hispanum huius seculi, id est, Scoto trecentis propè annis posteriorem, accusare Scotum, quòd de Transsubstantiatione dubitauerit: *Et reipsa,* inquit, *Dominicus à Soto, ex celeberrimis eorum Doctoribus vnus, non dissimulat se Scoto imputare, eum de Transsubstantiatione malè sensisse, vt quæ scripturæ auctoritate defendi non possit.* Iam verò esto, quòd Dominicanus non nimis benè erga Franciscani existimationem affectus fuerit, id non admodum grande miraculum foret: & nisi aliquod in Transsubstantiatione maius esset, Dominus du Plessis nõ multùm grauaretur eam credere. Sed tamen nusquam Soto hæc verba ita cruda, vt sic loquar, pronunciat: *Scotum de Transsubstantiatione malè sensisse, vt quæ scripturæ auctoritate defendi non posset.* Dicit

quidem

quidem Scotum, dum id sentit, quod sentit, nempe, Transsubstantionē non esse pręcisam & directam, sed adiunctam & collateralem causam pręsentiæ corporis Christi in sacramento, argutari non modò aduersus D. Thomam, sed etiam aduersus Ecclesiæ decisiones; eo quòd hæc phrasis Concilij Lateranensis: *Corpus & sanguis sub speciebus panis & vini veraciter continentur; Transsubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem*, insinuet Transsubstantiationem esse caussam præsentiæ. Sed ipsemet statim pòst circa defensionem Scoti argutatur his verbis: *Sed dicent isti. Licet Concilium illud (Transsubstantiationem) assignet pro causa, non tamen dicit aliud non fuisse possibile, &c.* Dicit quidem, posito eo, quod ponit Scotus, videlicet, corpus Christi non esse in Sacramento, nisi per acquisitionem relationis præsentiæ ad species; id est, vt Scotus intelligit, quatenus vocula, *Per*, significat causam præcisam existentiæ, non autem modum & conditionem existentiæ;

Soto in 4. sent. dist. 9. q. 2. a. 2.

 id esse

id esse, obscurè Conuersionem euertere; eò quòd, addit Soto, ad asserendam hanc pręsentiam necessaria non sit Conuersio, neque vt panis esse desinat: Ac præterea, si hoc sit, nulla restet ratio, cur ad motum specierum moueatur corpus. Sed ad hoc Scotus responderet, & conuersionem potuisse esse institutã non ad asserēdam simpliciter pręsentiam in Sacramento, sed ad illam ibi asserendam cum maiori decentia, & pręsentiâ iam illic assertâ, vt perpetua sit inter corpus & species, vnum sine altero moueri nō posse: Ita vt eadem virtus verbi, quæ caussa est præsentiæ, etiã consequenter caussa sit motuum, qui ad præsentiæ perpetuitatem requiruntur. Dicit quidem tenēdum esse doctrinam de conuersione tam antiquam esse quàm doctrinam de præsentia sub speciebus, quòd vtraque ex his verbis colligatur, *Hoc est corpus meum:* & contrarium asserere, esse eorum hæresi subscribere, qui credebant panē vnà cum corpore remanere. Sed nec

Scotus

Scotus vſquam pronunciat, doctrinam de conuerſione nõ eſſe tam antiquam, quàm doctrinam de præſentia: Tantùm dicit, & eum ipſemet Soto his verbis citat, *illam non ſemper ita manifeſtè creditam fuiſſe.* Neque magis affirmat illam è ſcriptura non colligi; ſed illam nõ colligi cum integra euidentia ſolius ſcripturæ, abſque explicatione & interpretatione Eccleſiæ. Quæ propoſitio eſt, quam ſuperiùs dicebat Cardinalis Bellarminus non eſſe omnino improbabilem.

Soto in 4. ſent. impr. Salm. 1557. pag. 429. colum. 1.

Bellarm. de Euch. lib. 3. c. 23. Secundò dicit Scotus, non extare locum vllum ſcriptura tã expreſſum, vt ſine Eccleſiæ declaratione eu:dẽter cogat tranſſubſtantiationem admittere. Atque id non eſt omnino improbabile.

Sed volo omnes conſecutiones, quas ex Scoti poſitionibus Soto aut elicit, aut ſe putat elicere, veras eſſe & neceſſarias: quis neſcit valdè multùm inter ſe diſcrepare, dicere auctorem aliquem ſenſiſſe aliquid, vnde ex conſequenti inferri quædam poſſint & concludi, quæ cum aliqua Eccleſiæ doctrina non conſentiant, & dicere illum malè ſenſiſſe, & de eadem doctrina dubitaſſe? Maior pars Scholaſticorum clamat Græcorum opinionem, Spiritũ ſanctum ex ſolo

Patre procedere, ex consequenti Trinitati repugnare: indeq; secuturum, si ea vera esset, non fore nisi duas personas in Diuinitate: Et tamen Græcos nunquam de personarum Trinitate in essentia diuina dubitasse, neq; vllum vnquam illis hoc imputasse certum est; & si quis hoc eis imponeret, manifesta foret calumnia. Nam vt auctor quispiam de aliqua doctrina dubitasse dicatur, non est satis, vt solummodo positiones asseruerit, ex quibus argumentationis vi confici possint consequentiæ & illationes, quæ eidem doctrinæ aduersentur; sed oportet præterea illum istarum consecutionum necessitatē animaduertisse atque agnouisse. At verò neque Græci vident ex processione Spiritus sancti ex sola persona Patris vllā perniciosam consequentiam aduersus personarum Trinitatem confici: neque Scotus vidit ex suis positionibus sequi aliquid, quod articulo fidei, Panem non manere in Eucharistia, aduersari posset: neq; eum vidisse ipsemet

D. Th. cont. gent. libr. 4. cap 24. Durand. in 1. sent. dist. 2. quæstion. 4. Bagnes in 1. p. quæst. 36. De Valent. disp. 2. q. 10. Card. Bell. de Christ. l. 2. cap. 26 & alij.

ſmet Soto illi adſcripſit. Contrà, tantùm abeſt, vt Soto Scotum accuſet, quòd eorum opinioni, qui ſubſtantiam panis remanere in Sacramento ſentiunt, fauere voluerit, vt eum taxet, quòd vlteriùs progreſſus ſit, atq; in alterum extremum inciderit, nempe in opinionem, panem omnino annihilari. Hæc eius verba ſunt: *Tertia opinio eſt Scoti, in 4.d.11. q. 4. vbi ait per conſecrationem fieri, vt panis & vinum ſecundum ſe, & quodlibet ſui deſinant eſſe, quorum loco ſuccedit corpus Chriſti, & ſanguis ſub eiſdem ſpeciebus, & hactenus quidem rectè: nam & hæc eſt D. Thomæ, omniumq; Doctorum, ſi ſanè intelligantur, Catholica ſententia. Differt tamen in duobus. Primò, quod hanc non cenſet propriè tranſſubſtantiationem.* (Scotus negat *eſſe Tranſſubſtantiationem productiuam ſubſtantiæ corporis, ſed ſolùm tranſſubſtantiationem adductiuam ſubſtantiæ panis, in locum ſubſtantiæ corporis.*) *Secundò, quòd licet de annihilatione, an accidat hic necne vacillet, tandem propendet, quòd panis & vinum annihilantur.* Jam quidquid ſit

Soto in 4. ſent. d. 11. q. 2. a. 4.

Scot. in 4. sent. d. 11. q. 3. Transsubstantiatio potest poni duob. modis intelligi &c. Prima potest dici productiua sui termini ad quē. Secūda adductiua, &c.

de annihilatione, contra quem tamen Scoto suæ præcautiones & antidota non desunt: Saltem hinc apparet, Soto non imputasse ipsi, eum fauere illis voluisse, qui substantiam panis in Sacramento manere sentiebant: Et consequenter magnam esse differentiam inter hęc duo, dicere, vt dicit Soto, ex positionibus Scoti inferri posse cōsecutiones, quæ doctrinæ de cessatione panis aduersentur; & dicere, vt ipsum dicere vult Dominus du Plessis, Scotum de ea re malè sensisse, & ipsummet dubitasse. Nam quamuis omnes hæ consecutiones veræ essent & necessariæ, quod nullus discipulorum Scoti concesserit: certum est vel ipso Dominici Soto testimonio, Scotum illas vel nō animaduertisse, vel tales non existimauisse.

Sed quousque Lectorum patientia abutemur? Non enim in quæstione est, quid Soto, vel quid Cardinalis Bellarminus Scoto imputauerit: sed quid Dominus du Plessis ei imputet, nimirū dubitasse ipsum de reali præ-

sentia

ſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus: quod ei nunquam vel Soto, vel Cardinalis Bellarminus, vel Kemnitius, vel aliquis ſeu Catholicus ſeu Hæreticus imputauit, q; nec ipſe Diabolus calumniæ pater cum aliqua probabilitate imputare ei poſſet. Aut potius etiam, ad diſputationem contrahendam, & ad omnem tergiuerſandi occaſionem auferendam: Non quæritur in genere, num Scotus de hoc articulo dubitauerit: Nudè & ſimpliciter quæritur, an Scotus hanc theſin propoſuerit: *Vtrum poſſibile ſit corpus Chriſti realiter ſub ſpecie panis & vini contineri*, per modum dubitationis, an per modum ingreſſus in diſputationem more Scholaſtico. Et vtrum hęc argumenta; *Quòd quantitas id ferre non poſſit, vti nec localitas & circumſcriptio naturæ veri corporis, quale eſt corpus Domini, affixæ*; quæ Dominus du Pleſſis Scoto imputat, verba & argumenta Scoti ſint, an verba & argumenta Hæreticorum, quæ Scotus impugnat. Quò pertinet igitur allegare, Cardinalem

Bellar-

Bellarminum ſcribere, exiſtimaſſe ScotumTranſſubſtantiationem ante Concilium Lateranenſe non eſſe articulum Fidei? Quò pertinet allegare Dominicũ Soto ei imputare, quòd malè de Tranſſubſtantiatione ſenſerit; & huiuſmodi alia extrauagantia, quæ extra orbitam ſaltant, neque diſputationis nodum attingunt? Agitur de eo, quòd Dominus du Pleſſis in ſuo libro de Euchariſtia dicit hanc theſin primę quæſtionis diſtinctionis decimæ in quartum Sententiarum; *Vtrum poſſibile ſit corpus Chriſti ſub ſpecie panis & vini realiter contineri?* Et hanc reſponſionem; *Videtur quòd non*; à Scoto per formam dubitationis pronunciari. Et Epiſcopus Ebroicenſis contrà dicit, hanc eſſe aut ignorantiam ridiculam, aut impoſturam inexcuſabilem. Nam præterquam quòd nullus eſt tam rudis diſcipulus, qui neſciat morem hunc eſſe Scoti, & omnium aliorum Scholaſticorum, vt theſes ſuas hac forma proponant, [a] *Vtrum Deus ſit? videtur quòd non:*

Scot. in 4. ſent. diſt. 10. quæſt. 1.

[a] *D. Th. 1. p. q. 2. art. 3.*

Vtrum

Vtrum[a] *ſit poſſibile Deum aliquid creare? videtur quòd non.*[b] *Vtrum ſit ponere plures perſonas in diuinis? videtur quòd non;* Scotus poſt illa mox in deciſione diſputationis concluſionem hanc pronunciat: *Dico quòd corpus Chriſti eſſe ibi verè realiter eſt ſimpliciter de ſubſtantia fidei.* Agitur de eo quòd Dominus du Pleſſis adiungit, hæc verba, *Quòd quãtitas id non ferat, vti nec localitas & circumſcriptio, &c.* verba eſſe & argumenta Scoti. Et Epiſcopus Ebroicenſis contrà dicit eam falſitatem eſſe intolerabilem: & hæc eſſe verba & argumenta Hæreticorum, quæ Scotus ſibi objicit vt refutet: prout liquet ex his verbis, quę immediatè conſequũtur:[c] *Contrà: Matthæi 26. dicit Chriſtus, Hoc eſt corpus meum: & Ioannis 6. Caro mea verè eſt cibus;* & ex deciſione articuli, quam Scotus format in hunc modum:[d] *Dico quòd corpus Chriſti eſſe ibi verè realiter eſt ſimpliciter de ſubſtantia fidei, eo modo quo veritas alicuius ſacramẽti pertinet ad articulos fidei. Iſta enim veritas à principio fuit expreſſè tradita, ex quo Eucha-*

[a] Scot. in 1. ſent. diſt. 1. quæſt. 2.
[b] D. Th. 1. p. q. 30. art. 1. & Scot in 1. ſent. diſt. 2. q. 4.
[c] Scot. in 4. ſent. diſt. 10. quæſt. 1.
[d] Idem ib.

Eucharistia fuit instituta. Fundamentum autem auctoritatis est Matthæi 26. & Lucæ 22. vbi in cœna ait Christus, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Et si hæretici vellent ista exponere dicendo, quòd sint figuratiuè dicta, &c. Istud omnino est contrà intentionem Saluatoris: Et deniq; ex solutione quam ipsemet Scotus ad eadem argumenta adfert, in responsione ad obiectiones partis aduersariæ, quæ sic habet: *Ad secundum dico quòd modus quantitatiuus non est passio quanti, &c.* Illud est, in quod arietare oportet & contestari: Illud est repagulum, ad quod pede stabili decertandum est: Non ex thesi in thesin & ex quæstione in quæstionem saltitandum, sperandumq; fugiendo se posse vincere Parthorum instar.

Dominus du Plessis 3. edit. p. 29.

Dominus du Plessis ad extremum huius articuli disputationem alia obseruatione concludit, quòd nimirum Domini Arbitri de textu Scoti nihil pronunciauerint, quippe facilè intelligentes, inquit, illam non esse materiam audientiæ. In quo denuo celat &

& dissimulat duo. Vnum, Episcopum Ebroicensem nõ vrsisse, vt illi de primo loco arbitrarētur, ne ab ea protestatione, quam paulo antè fecerat, illorum iudicium non nisi in controuersis verborum interpretationibus, aut exemplarium editione postulandi, discederet: sed cœpisse primùm rogare illos sententias suas ad finem secundi articuli, cùm Dominum du Plessis conari eum, vti in priore fecerat, in longum protrahere animaduertit. Alterum, Regem, qui continuari Colloquium desiderabat, peculiariter Domino Cancellario mandasse, ne suffragia de primo loco colligeret, ne quis Domino du Plessis prætextus daretur, si ab ipso ingressu condemnaretur; non perseuerandi; quod ipsi propositum esse intellexerat. Quod sua Maiestas toties testificata est, testificaturq́; quotidie ita palàm, vt nemo eorum, quos ea res tangit, possit se excusare, quòd ea de re nihil inaudierit. Sed est vnum ex Admirãdis industrię Domini du Plessis, qui

qui ex omni accidentium genere nouit compendium facere, quòd sui misericordiam, & commiserationem, qua alij erga ipsum afficiebantur, in commodi sui & triumphi occasioné vertat. Transeamus vlteriùs.

Dominus duPlessis 3. edit. p. 31.

Cùm secundum articulum tractat, nempe locum Durandi, post multiplices fugas & elusiones, quæ omnes in ipsa Disputatione refutatæ fuerũt, hoc bellum epiphonema emittit: *Adeo hæc noua interpretatio verborum Sacramenti suum ipsi ingenium cruciat.* O confidentiam! O securitatem! Durandus diserté protestatur Concilij Lateranensis doctrinam, fuisse S. Augustini, S. Ambrosij, Eusebij Emisseni, & aliorum innumerabilium auctorum amplius octingentis annis Concilio Lateranensi vetustiorum: Hæc ipsius verba sunt: *Dicenda sunt tria. Primum est, quòd substantia panis & vini conuertuntur in substantiam corporis Christi Secundum est, quòd mediante tali conuersione corpus & sanguis Christi virtute diuina habent talem ordinem seu habitudinem*

Durãd. l. 4. d. 11. q. 1.

ad spe

ad ſpecies, ſub quibus fuerunt panis & vinum, quòd ſunt eis realiter præſentes. Tertium eſt, quòd quamuis iſte modus ſit de facto, non eſt tamen negandum, quin alius modus ſit Deo poſſibilis, ita videlicet, quòd Deus poſſet facere, quòd remanente ſubſtantia panis & vini, corpus & ſanguis eſſent in hoc ſacramento. Primum patet auctoritatibus Sanctorum, & ex determinatione Eccleſiæ. Dicit enim Ambroſius libro de Sacramentis, ſic, Licet figura panis & vini videatur, nihil tamen aliud quàm caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credendum eſt: Item in eodem: Sermo Chriſti creaturam mutat, & ſic ex pane fit corpus Chriſti. Auguſtinus etiam in libro ſententiarum Proſperi, &c. dicit ſic, Cùm fideliter fateamur ante conſecrationem eſſe panem & vinum, quæ natura formauit, poſt conſecrationem verò Chriſti corpus & ſanguinem, quæ benedictio conſecrauit. Item Euſebius, &c. Inuiſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo ſecreta poteſtate commutat. Et quàm plurimæ aliæ auctoritates ſunt, quæ expreſſè idem ſonant. Etiam

Dominus du Plessis, quasi fascina haberet ad pręstinguendos atque excęcãdos Lectorum oculos, clamat Durando hãc interpretationem nouam videri, ipsiusq́; torquere ingenium. Et pro eo vt se retractationibus corrigat, in licentias præcedentib. magis illicitas sese effundit. Sed falsitates non nisi falsitatibus defendi possunt; neque quicquam nisi per sibi simile constanter asseri potest.

Dominus Plessius 3. edit. p. 31.

Adiungit in eodem articulo, debuisse Episcopum Ebroicensem ex suo Bellarmino didicisse, Durandum de Transsubstantiatione malè credidisse: cùm materiàm panis in Sacramento manere, neque eam conuerti senserit. Quod Episcopus Ebroicensis antè sciebat, quàm Cardinalis Bellarminus, ex quo tamen semper discet libenter aliquid, scripsisset: Et cũ Domino du Plessis placuerit, ostendet ei Durandum cum notis sua manu adscriptis, decem annis antè quã liber Cardinalis Bellarmini de Eucharistia in lucem ederetur. Sed scie-

bat

bat prętereà, magnum esse discrimen inter hęc, dicere materiam panis manere in sacramento, neque eam conuerti ; & dicere , substantiam panis manere in Sacramento neque eam conuerti : Quemadmodum multum differunt hæc, dicere materiam aquæ in miraculo fluuiorum Ægypti, mansisse neque conuersam fuisse : & dicere substantiam aquæ mansisse, neque conuersam esse : Quemadmodum multum differunt, dicere materiam virgæ Moysis mansisse neque conuersam esse : & dicere substantiam virgæ Moysis mansisse neque eam conuersam esse : Quemadmodum multum differunt , dicere materiam aquæ in miraculo quod Canæ factum est, mãsisse neque conuersam esse , & dicere substantiam aquæ mansisse neq; conuersam fuisse : Et denique ; vt idem exemplum adhibeatur quod adfert Durandus, quemadmodum multum differunt, dicere materiam panis quẽ pro alimento Dominus noster sumebat, cùm inter homines ageret, man-

ſiſſe neque conuerſam eſſe; & dicere, ſubſtantiam panis, quem Dominus noſter comedebat, manſiſſe neque conuerſam fuiſſe. Durandus enim cum ponit materiam panis manere in ſacramento, nõ vult illam manere in eſſe & ſubſtantia panis, ſed cenſet illam tranſire in eſſe & ſubſtantiam corporis. Solùm vult dicere, non perdere illam idem eſſe ſimplicis materiæ, quod antea habebat, hoc eſt, illã nõ fieri aliam materiam, cùm eſt ſub forma ſubſtantiali corporis, ab ea, quæ ſub forma ſubſtantiali panis fuerat; ſed perſeuerat eadem materia & in hac & in illa ſubſtantia; perinde vt cùm aqua in aërem conuertitur, materia aquæ non mutatur, id eſt, non fit alia materia ab ea, quæ priùs ſub forma aquæ erat; ſed ſub diuerſis ſubſtantijs ſucceſſiuè conſtituta manet eadem materia. Itaque quod Cardinalis Bellarminus Durando obijcit, videlicet eum ſcripſiſſe, materiam panis manere in ſacramento, neque eam conuerti, veriſſimum eſt Durandum

dum ſcripſiſſe: Sed quod ei Dominus duPleſſis imponit,nempe ipſum ſcripſiſſe, ſubſtantiam panis manere in ſacramento neque eam conuerti; falſiſſimum eſt eum ſcripſiſſe: Contrà eum planè oppoſitum ſcripſiſſe veriſſimum eſt, vt apparet & ex ipſius deciſione,quæ eſt talis: *Dicenda tria. Primum eſt, quòd ſubſtantia panis & vini conuertuntur in ſubſtantiam corporis Chriſti. Secundum eſt,quòd mediante tali conuerſione corpus & ſanguis Chriſti virtute diuina habent talem ordinem ſeu habitudinem ad ſpecies,ſub quibus fuerunt panis & vinum, quòd ſunt eis realiter præſentes. Tertium eſt, quòd quamuis iſte modus ſit de facto, non eſt tamen negandum, quin alius modus ſit Deo poſſibilis, ita videlicet quòd Deus poſſet facere, quòd remanente ſubſtantia panis & vini,corpus & ſanguis Chriſti eſſent in hoc ſacramento:* Et ex reſponſione ad argumenta,quæ Dominus du Pleſſis ipſi affingit, quæ refutat his verbis: *Ad primum in oppoſitum, dicendum eſt,quòd in his quæ ſunt fidei,non eſt ſemper eligendum illud ad quod ſequun-*

Durād.l.4. diſt.11.q.1.

Durand. ibidem.

tur pauciores difficultates, &c. sed est ponendum magis illud quod est consonum dictis sanctorum & traditioni Ecclesiastica.

Secundò Episcopus Ebroicensis sciebat Durandum non proponere hanc thesin per modum Decisionis, sed per modum problematis, & cum hac submissione, *Saluo meliori iudicio*; id est, saluo Ecclesiæ iudicio, quæ quidem articulum de Transsubstantiatione deciderat, sed tunc necdum determinauerat, inquiebat Durandus, an hæc Transsubstantiatio fieret per simplicem transitionem materiæ panis sub formam substantialem corporis, quemadmodū omnes alię conuersiones & transmutationes substantiales; an per cessionem totius substantiæ panis in totam substātiam corporis.

Tertiò sciebat, tantum abesse, vt Durandus illud ad oppugnandam cōuersionem panis in corpore Christi imaginatus sit, vt cōtrà id fecerit, quo eam tueretur, & sartam tectam conseruaret. Putabat enim Durandus

dus illam non esse propriè veram cõuersionem vnius substantiæ in aliam, sed simplicem successionem vnius substantię in locum alterius, nisi quid prioris substantiæ restaret, quod in posteriorem transiret, permaneretq; vt Esse vtriusq; termini ceu commune vinculum colligaret: Veluti in Elementaribus conuersionibus, cùm aqua in aërem vertitur, restat aliquid de substãtia aquæ, quod remanet sub forma substãtiali aëris, nempe materia. Materia.n.aquę nõ mutatur, neq; ẽ alia materia ante cõuersionẽ, & alia post cõuersionem: sed manet semper vna eademq; materia, quæ successiuè transit sub diuersas formas atque in diuersis substantijs. Ideoque Durandus verebatur, ne, si in Transsubstantiatione eadem materia, quæ sub forma substantiali panis fuerat, non remaneret sub forma substantiali corporis; esset annihilatio panis, & substitutio corporis in eius locũ; non autem vera panis in corpus conuersio.

Quapropter, quamcunq; in par-

tem se vertat Dominus du Plessis, & quemcunq; puluerem in Lectorum oculos inijcere hoc altero Durandi loco nitatur, qui cum eo, de quo in disputatione agebatur, nihil habet commune, eò quòd alter ex prima quæstione, alter è tertia desumptus sit; hæret semper in eodem cęno, neque hanc sordidam & impuram imposturam eluere potest, quòd argumenta aduersariorum Ecclesiæ, quæ Durandus refutabat, pro verbis & doctrinà Durandi allegauerit: neque illam maculam delere, quæ fronti ipsius Summonitoris impressa fuit, hac Domini Cancellarij & Dominorum Arbitrorum sententia: OBIECTIONEM PRO CONCLVSIONE VSVRPAVIT.

Cùm ad tribunal reuocat examen tertij articuli, nihil, respondet, quod non iam antè in ipso Colloquio responsum & refutatum fuerit, vti ex Actorum lectione patet. Ideoq;, cum nouę rationis nihil adferat, ad ciuile aliquod postulatum proponendum admitti non debet. Cùm

Cùm disputationem quarti loci retentat, qui fuit D. Chrysostomi in S. Matthæum: dicit Dominos Arbitros de summa rei iudicasse homiliā debere intelligi de sanctis vita defunctis: quod tamen illi non fecerunt: Et postmodum, quò plus coloris habeat ad illos calumniandos; & ad eâdem via Lectorem animis insinuandum, ea, quæ Patres de Sanctorum orationibus dicunt, de sanctis viuentibus debere intelligi: addit, veteribus id tritum fuisse, vt Fideles appellarent sanctos: Et putat se grande quid perfecisse, quòd Tertullianum, dum de ijs loquitur, qui ferrea Martyrum vincula osculatum ibant, cùm ad supplicium ducerentur, hac phrasi vtentem inuenerit, Sanctorum vincula exosculari. Quasi verò loca Homiliæ *66*. ad populum Antiochenum, & Homeliæ *26*. in secundam ad Corinthios, quæ Episcopus Ebroicensis allegauit, vt S. Chrysostomum ostenderet reipsa sanctorum mortuorum inuocationem commendasse;

Dominus Pl. ß. in 3. edit. p. 46.

& ad quæ, qui aderant, applauſerunt; non abſque vllo ambiguo exprimerent atque diſtinctè declararent, de quibuſnam Sanctis loquerentur? Et quaſi non mille alia ſimilia loca, quæ Catholici quotidie in hanc rem proferunt, tam S. Chryſoſtomi, quàm aliorum eiuſdem ſæculi Doctorum, ſeipſa explicarent, diſtincteque declararent, de quibuſnam ſanctis loqui Patres intenderent? Nam quando S. Chryſoſtomus in ſuis homilijs ad populum Antiochenum & in ſecũdam Corinthiacam, quas dixit & ſcripſit Antiochiæ & Conſtantinopoli abhinc mille & ducentos annos, dicebat: καὶ γὰρ αὐτὸς ὁ τὴν ἁλουργίδα περικείμενος, ἀπέρχεται τὰ σήματα ἐκεῖνα περιπτυξόμενος, καὶ τὸν τῦφον ἀποθέμενος ἕστηκε δεόμενος τῶν ἁγίων, ὥστε αὐτοῦ προστῆναι παρὰ τῷ θεῷ: καὶ τοῦ σκηνοποιοῦ, καὶ τοῦ ἁλιέως, προστατῶν, καὶ τετελευτηκότων δεῖται ὁ τὸ διάδημα ἔχων· τολμήσεις οὖν, εἰπέ μοι, τὸν τούτων δεσπότην νεκρὸν εἰπεῖν, οὗ οἱ οἰκέται καὶ τετελευτηκότες, προστάται τῆς οἰκουμένης βασιλέων εἰσί; [a] *Nam & ipſe ille purpura indutus,*

[a] *Chryſ. in ep. 2. ad Corinth. c. 12. hom. 26.*

tus peregrè proficiſcitur ſepulchra illa complexurus, & faſtu poſito conſiſtit Sanctos rogans, vt ſibi apud Deum patrocinentur, & tabernaculorum artificem ac piſcatorem patronos etiam mortuos precatur ipſe diadema geſtans. Audebiſne igitur, dic quaſo, horum Dominum dicere mortuum, cuius famuli etiam mortui huius mūdi regum ſunt patroni? De quibuſnam Sāctis loquebatur? de viuentibus, an de mortuis? Et quādo Ruffinus ęqualis S. Chryſoſtomi in hiſtoria Eccleſiaſtica, quam abhinc mille & ducentos annos ſcripſit, de Magno Theodoſio Imperatore loquens dicebat: [a] *Circuibat cum Sacerdotibus & populo omnia orationum loca, ante Martyrum & Apoſtolorum thecas iacebat cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fida Sanctorum interceſſione poſcebat*; De quibuſnam Sanctis loquebatur? de viuentibus, an de mortuis? Et quando S. Ambroſius, quem D. Auguſtinus hominem Dei, Doctorem veritatis, fidei irreprehenſibilis Epiſcopum appellat, in Commentarijs in S. Lucam, quos abhinc mille ducentos

[a] *Ruffin. l. 2. cap. 33.*

& viginti annos ſcripſit; dicebat: [a] *Mortuis Regibus, in perpetuum Martyres regnum cœleſtis gratiæ honore ſuccedunt: Et illi fiunt ſupplices, hi patroni:* Et in libro de viduis, quem etiam antè ſcripſit; nam eum ipſemet in S. Lucam commentans citat: [b] *Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt: Martyres obſecrandi, quorũ videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine, etiam ſi qua habuerunt peccata, lauerunt;* De quibuſnam Sanctis loquebatur? de viuentibus, an de mortuis? Et quando S. Auguſtinus abhinc mille & ducentis annis in Africa dicebat: [c] *Videtis Imperij nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulchrũ piſcatoris Petri, ſubmiſſo diademate, ſupplicare:* Et iterum: [d] *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur;* De quibuſnam ſanctis loquebatur? de viuentibus, an de mortuis? Et quando S. Cyrillus

[a] *Ambr. l. 10 commen. in Luc. c. 21.*

[b] *Idem Ambroſ. libr. de Viduis.*

[c] *Auguſt. Epiſt. 42.*

[d] *Idem contra Fauſtũ lib. 20. c. 21.*

rillus Hieroſolymitanus nomine totius Eccleſiæ ſui ſeculi abhinc mille ducentis & quinquaginta annis in Aſia dicebat: *δεόμεθα σου πάντες ἡμεῖς, καὶ ταύτην προσφέρομεν σοι τὴν θυσίαν, ἵνα μνημονεύομεν καὶ τῶν προκεκοιμημένων πρῶτον πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, μαρτύρων, ὅπως ὁ θεὸς εὐχαῖς αὐτῶν, καὶ πρεσβείαις προσδέξηται ἡμῶν τὴν δέησιν.* *Cùm* [a] *hoc ſacrificium offerimus, poſtea mẽtionem facimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt: primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras*; De quibuſnam ſanctis loquebatur? de viuentibus, an de mortuis? Et quando Magnus ille Baſilius, Angelus Aſiæ, quẽ D. Athanaſ. Eccleſię decus appellat, quẽ D. Gregor. Nazianzenus oculũ vocat, & tubam vniuerſi; quem Concilium Epheſinum Magnum & ſanctiſſimum Epiſcopum nominat; in oratione de quadragĩta Martyribus, quam ſcripſit años abhinc mille ducentos & triginta, dicebat: *ὁ θλιβόμενος*

[a] *Cyril. Hieroſ. Catech. myſt. 5.*

νος ἐπὶ τοὺς τεσσαράκοντα καταφεύγει, ὁ εὐφραινόμενος ἐπ' αὐτοὺς ἀποτρέχει. ὁ μὲν ἵνα λύσιν εὕρῃ τῶν δυσχερῶν. ὁ δὲ, ἵνα φυλαχθῇ αὐτῷ τὰ χρηστότερα. *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursus lætatur, hos orat. Hic, vt à malis liberetur; ille, vt duret in rebus lætis.* Et paullo pòst: ὦ χορὸς ἅγιος, ὦ σύνταγμα ἱερὸν, ὦ συνασπισμὸς ἀῤῥαγής. ὦ κοινοὶ φύλακες τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων: ἀγαθοὶ κοινωνοὶ φροντίδων, δεήσεως συνεργοὶ, πρεσβευταὶ δυνατώτατοι. ἀστέρες τῆς οἰκουμένης, ἄνθη τῶν ἐκκλησιῶν. *O sanctum chorum, ô sacrum ordinem, ô cuneum inexpugnabilem, ô communes generis humani custodes; optimi curarum socij, precum ac votorum inuicem suffragatores, legati apud Deum potentissimi, astra mundi, flores Ecclesiarum;* De quibusnam sanctis loquebatur? de viuentibus, an de mortuis? Et quando illius frater S. Gregorius Nyssenus, quem D. Gregorius Nazianzenus filium lucis, & hominem Dei vocat: Et quem Græci, vt inquit Nicephorus, Patrem Patrum appellant, in oratione S. Theodori

[a] *Basil. hom. in 40. Mar.*

dori Martyris, quàm ſcripſit abhinc mille ducentis & triginta annis, dicebat: Χρήζομεν πολλῶν εὐεργεσιῶν. πρέσβευσον ὑπὲρ τῆς πατρίδος τὸν κοινὸν δεσπότην, &c. αἴτησον εἰρήνην, ἵνα αἱ πανηγύρεις αὗται μὴ λήξωσιν, ἵνα μὴ κωμάσῃ κατὰ ναῶν ἢ θυσιαστηρίων, λυσσῶν καὶ ἄθεσμος βάρβαρος· ἵνα μὴ πατήσῃ τὰ ἅγια βέβηλος, &c. αἰ χρεία γένηται πλείονος δυσωπείας, ἄθροισον τὸν χορὸν τῶν σῶν ἀδελφῶν, τῶν μαρτύρων καὶ μετὰ πάντων δεήθητι. πολλῶν δικαίων εὐχαὶ λαῶν καὶ δήμων ἁμαρτίας λυσάτωσαν. ὑπόμνησον Πέτρον, διέγειρον Παῦλον, Ἰωάννην ὁμοίως τὸν θεόλογον καὶ φιλούμενον μαθητὴν, ἵνα ὑπὲρ τῶν ἐκκλησιῶν, ἃς συνεστήσαντο μεριμνήσωσιν, ὑπὲρ ὧν τὰς ἁλύσεις ἐφόρεσαν, ὑπὲρ ὧν τοὺς κινδύνους καὶ τοὺς θανάτους ὑπήνεγκαν. *Multorum beneficiorum indigemus; intercede ac deprecare pro patria apud communem Regem & Dominum, &c. Pete pacem, vt hi publici conuentus non deſinant: ne debacchetur atque graſſetur aduerſus templa altariaue rabioſus & ſceleratus Barbarus: ne conculcet ſancta profanus & impius, &c. Quòd ſi maiori etiam opus fuerit aduocatione ac deprecatione, fratrum tuorum*

Greg. Nyſſ. ora. in Martyr. Theod.

Martyrum coge chorum, & cum omnibus vnà deprecare. Multorum iuſtorum preces, multitudinum ac populorum peccata luant. Admone Petrum: excita Paulum, Ioannem item Theologum ac diſcipulum dilectum; vt pro Eccleſijs, quas conſtituerunt, ſoliciti ſint; pro quibus catenas geſtauerunt, pro quibus pericula ac mortes tulerunt; De quibuſnam ſanctis loquebatur? De viuentibus, an de mortuis? Et quando Magnus ille Gregorius Nazianzenus, quem antiquitas, κατ' ἐξοχὴν, Theologum indigitauit, in oratione de S. Cypriano, quam ſcripſit abhinc mille ducentis & viginti annis, dicebat: σὺ δὲ ἡμᾶς ἐποπτεύοις ἄνωθεν ἵλεως, καὶ τὸν ἡμέτερον διεξάγοις λόγον καὶ βίον, καὶ τὸ ἱερὸν τοῦτο ποίμνιον ποιμαίνοις, ἢ συμποιμαίνοις, τά τε ἄλλα εὐθύνων ὡς οἷόν τε πρὸς τὸ βέλτιστον, καὶ τοὺς βαρεῖς λύκους ἀποπεμπόμενος, τοὺς θηρευτὰς τῶν συλλαβῶν, καὶ τῶν λέξεων, καὶ τὴν τῆς ἁγίας τριάδος ἔλλαμψιν, ἧς σὺ νῦν παραστάτης, τελεωτέραν τε καὶ λαμπροτέραν ἡμῖν χαριζόμενος.[a] *Tu verò nos ab alto propitius reſpice, noſtrumq́ ſermonem ac vitam dirige, & ſanctum ouile*

[a] Greg. Nazian. orat. in Cyprian.

ouile hoc paſce, aut unà rege &c. moleſtosq́; lupos, ſyllabarum & verborum venatores illos abige: ac ſanctæ Trinitati, cui nunc adſtas, ſplendorem nobis profectiorem & clariorem gratificare; Et in oratione de S. Baſilio: σὺ δὲ ἡμᾶς ἐποπτεύοις ἄνωθεν, ὦ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλή, καὶ τὸν δεδομένον ἡμῖν παρὰ θεοῦ σκόλοπα τῆς σαρκὸς τὴν ἡμετέραν παιδαγωγίαν, ἢ στήσαις ταῖς σεαυτοῦ πρεσβείαις, ἢ πείσαις καρτερῶς φέρειν, καὶ τὸν πάντα βίον ἡμῖν δεξάγοις πρὸς τὸ λυσιτελέστατον. εἰ δὲ μεταστοίημεν, δέξαιο κἀκεῖθεν ἡμᾶς ταῖς σεαυτοῦ σκηναῖς. *Tu autem ſacrum ac diuinum caput, ex alto nos reſpice; & carnis ſtimulum, inſtructionem noſtram, à Deo nobis datam, aut tuis ſiſte precibus, aut fortiter me ferre perſuade, totamq́; vitam nobis in melius permuta. Cùm verò emigrabimus, nos ibi tuis excipe tabernaculis*; De quibuſnam ſanctis loquebatur? de viuentibus, an de mortuis? Et quando S. Hieronymus in ſecunda epiſtola aduerſus Vigilantium, quam in ipſo Palæſtinæ meditullio ſcripſit, abhinc annis mille ducentis, clamabat: [a] *Dicis in libello tuo, quòd, dum viuimus, mutuò*

[a] *Hiero. aduerſus Vigilant.*

mutuò pro nobis orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio, &c. Et paullo pòst: *Si Apostoli, & Martyres, adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti, quanto magis post coronas, victorias, & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam, & Stephanus, imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur: & postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas: & postquā resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro ijs, qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit? Meliorq́ erit Vigilantius canis viuens, quàm ille leo mortuus?* Et iterùm: *Et post hæc de barathro pectoris tui cœnosam spurcitiam euomens, audes dicere: Ergo cineres suos amant animæ Martyrum, & circumuolant eos, semperque præsentes sunt: ne fortè si aliquis precator aduenerit, absentes audire non possint? O portentum*

inter-

in terras vltimas deportandum! De quibuſnam ſanctis loquebatur? de viuentibus, an de mortuis? Et quando Theodoretus celebris ille Epiſcopus Cyri, vrbis Perſidi finitimæ, abhinc mille centum & ſexaginta annos, velut ipſa Græca exemplaria Heidelbergenſia habent, ſcribebat: τὰ δὲ σώματα, οὐχ εἷς ἑνὸς κατακρύπτει τάφος ἑκάστου. ἀλλὰ πόλεις καὶ κῶμαι ταῦτα διανειμάμεναι, σωτῆρας καὶ ψυχῶν καὶ σωμάτων ἰατροὺς ὀνομάζουσι, καὶ ὡς πολιούχους τιμῶσι ἢ φύλακας. καὶ χρώμενοι πρεσβευταῖς πρὸς τὸν τῶν ὅλων δεσπότην διὰ τούτων τὰς θείας κομίζονται δωρέας. a *Martyrum verò corpora non ſingula quidem ſingulis monumentis conduntur, ſed ciuitates, oppida, paganique conuentus, hæc inter ſe ſortitò partiti ſunt, laborantibusque animis ac ægrotis corporibus ſalutares eos confiteri non ceſſant: nihiloque ſecius, vt vrbium cuſtodes ac locorum præſides venerantur, quorum precibus & interuentu apud Deum vtentes, per eos demum diuina munera conſequuntur.* Et iterùm: καὶ οἱ μὲν ὑγιαίνοντες, αἰτοῦσι τῆς ὑγείας τὴν φυλακήν. οἱ δὲ τινὶ νόσῳ παλαίοντες, τὴν τῶν

a *Theod. de græc. affect. cur. l. 8.*

παθημάτων ἀπαλλαγήν. αἰτοῦσι δὲ καὶ ἄγονοι παῖδας. καὶ στέριφαι, παρακαλοῦσι γενέσθαι μητέρες, καὶ οἱ τῆς δὲ τῆς δωρεᾶς ἀπολαύσαντες, ἀξιοῦσιν ἄρτια σφίσι φυλαχθῆναι τὰ δῶρα. καὶ οἱ μὲν εἴς τινα ἀποδημίαν στελλόμενοι, λιπαροῦσι τούτους ξυνοδοιπόρους γενέσθαι, καὶ τῆς ὁδοῦ ἡγεμόνας. οἱ δὲ τῆς ἐπανόδου τετυχυκότες, τῆς τῆς χάριτος ὁμολογίαν προσφέρουσιν. οὐχ ὡς θεοῖς αὐτοῖς προσιόντες, ἀλλ' ὡς θείους ἀνθρώπους ἀντιβολοῦντες, καὶ γενέσθαι πρεσβευτὰς ὑπὲρ σφῶν παρακαλοῦντες. *Qui homines proſpera ſunt valetudine, conſeruari eam ſibi à Martyribus petunt, qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, ſanitatem expoſcunt. Inſuper & ſteriles viri & mulieres, dari ſibi filios petunt, qui verò parentes ſunt, integra ſibi & prepria cuſtodiri, quæ conſecuti ſunt, dona. Item qui peregrè aliquo proficiſcuntur, petunt Martyres ſibi comites eſſe in via, vel potius itineris duces, qui verò iam ſoſpites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes. Non qui ſe ad Deos accedere arbitrentur, ſed qui orent Dei Martyres tanquam diuinos homines, interceſſoresq́; ſibi eos apud Deum aduocent ac precentur*; De quibuſnam Sanctis loquebatur?

batur? de viuentibus, an de mortuis? Sed repetamus Dominum du Plessis, vbi eum reliquimus, nempe in ingressu ad examen quinti articuli.

Cùm igitur disputationem quinti articuli, qui fuit ex S. Hieronymo, à se contra Sanctorū inuocationem allati renouat, dicit eum non tantùm à se, sed etiam à Glossa ordinaria sine his verbis, *Si sint negligētes*, citari. Iam, quantumuis ita se res haberet, quid hoc aliud esset, quàm id ore proprio fateri, quod ipsi quotidie exprobratur; Ipsum videlicet allegationes suas haurire ex Aduersarijs, Rapsodijs, & locis communibus Compilatorum, non autem ex pura & viua Patrum scaturigine? Sed tamen defendo rem non ita se habere; neque inter citationem Glossæ ordinariæ & citationem du Plessis quicquam commune intercedere. Nam inprimis dico nusquam profiteri Glossam ordinariam allegare se in forma siue hunc locum, siue alium; seu ex eodem capite, seu ex eodem S. Hieronymi libro:

Dominus Plessius 3. edit. p. 47.

bro: Sed ſatis ipſi eſt, ſuccum inde & ſententiam extrahere, verborum cõſtructionem reſtringendo, minuendo, mutando: vel eò vſque, vt quod S. Hieronymus denis duodenisúe dixerit verſiculis, illa in ternos redigat: Quod in gloſſarum notationumque materia bonum eſt: ſed in diſputationum deciſionumq́; controuerſarum materia non eſt bonum. Deinde dico, eã non ita ſupprimere hanc clauſulam, *ſi ſimus negligentes* vti facit Dominus du Pleſſis; ſed ſupplere eam alia phraſi, idq́; alibi in eodem teſtimonio. Cum enim ſe non ad verba, ſed ad ſuccum tantummodo exprimendum obligauerit; ſatis eſt ſenſum huius clauſulæ illic ſeu reipſa ſeu virtute conſeruari. In locum igitur horum verborum, *Si ſint negligentes*, quæ in S. Hieronymo ſunt, illa hæc, quæ illic ſunt non eadem omnino reipſa, ſed eadẽ virtute ſubſtituit, *Niſi eorum fidem & opera habeant:* Et quò poſſint hæc ꝓ limitatione eſſe ſimul & verſiculo Ezechielis, quem illa interpretatur,

tatur,& loco D. Hieronymi, per quẽ interpretatur, ea ponit ad calcem vnius & ad caput alterius, huius conditionis vim & ingenium existimans per totum locum satis extendi, sic, vt eandem in fine nihil necesse sit repetere, atque bis eandem clausulam vsurpare: Quod illa, quantum potest, tantum vitat, vt breuitati consulat. Deniq; dico, nec Dominum du Plessis, nec ipsius Summonitorem posse pro excusatione allegare, se à Glossa ordinaria deceptos esse, & se ex illa, nõ aũt ex S. Hieronymo hoc testimonium deprompsisse. Nam Dominus du Plessis, quod in ista allegatione reliquum est, id totum ijsdem verbis, quibus in ipso D. Hieronymi contextu habetur, non autem in Glossa ordinaria, adducit: vt inter cetera, cùm hæc verba habet: *Si in aliquo fiducia est, in solo Domino confidamus*; quæ verba Glossa ordinaria non refert. Quod cùm ita sit, honos huius falsitatis solidus ac integer aut ipsi vni, aut ipsius Summonitori manet, sic, vt

Glossæ ordinariæ Auctor nullam in eo sibi partem vindicet.

Addit in eodem articulo, ostendere D. Hieronymum loqui se istic de Sanctis viuentibus, eo quòd his verbis vtatur, *Animas suas liberabunt*: dicitq; se hanc rationem Episcopo Ebroicensi proposuisse: quod tamen non fecit; & si fecisset, responso suo non caruisset: Sed ille Famam imitatur; ---*pariter facta, atque infecta canit.* *Ostensum*, inquit, *etiam fuit Domino Ebroicensi, hunc locum D. Hieronymi non nisi de orationibus Sanctorum, quæ, dum adhuc viuunt, ab ipsis in hoc mundo fiunt, debere intelligi; cùm expresse per futurum dicat: Liberabunt animas suas; quod intelligi post eorum mortem non potest.* Præclara & ingeniosa demõstratio! Quasi verò hæc duo futura, *Liberabunt animas suas*, Et, *filios autem ac filias saluare non poterunt*; ad duo diuersa tempora futura referri non possent? Et quasi canonibus Grammaticis aduersetur, dicere; Principes Ecclesiarum, si iusti fuerint, animas suas liberabunt: succes-

Dominus Plessius, 3. edit. p. 48.

ſucceſſorum autem animas, ſi fuerint negligentes, ſaluare non poterunt; etiamſi manifeſtum ſit ſucceſſores ſaluari non poſſe, niſi poſt mortem ſuorum prędeceſſorum? Quin ipſum Abrahami Iudæorumq; exemplum, qui ſe tot ſæculis poſt illius mortem filios eius eſſe gloriabantur; de quibus D. Hieronymus hanc ſententiam pronunciat; quaſi verò non ad quæcunque huiuſmodi ſophiſmata diſſipanda ſatis eſſet? Et paucis, tametſi illa locum haberent; quaſi verò tamen non in tãto deterius id ipſi vergeret, qui hunc locum aduerſus Sanctorum vita functorum orationes allegauerat? Nam cæteroqui qua fronte diſputaret, num S. Hieronymus Sanctorum ſubſidium ad illud tempus ſolummodo, quo vixerunt, reſtringere voluerit; poſtea quàm illum aduerſus Vigilantij hæreſin has voces pronunciantem audiuerat? *Dicis in libello tuo, quòd, dum viuimus; mutuò pro nobis orare poſſumus; poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio*

exaudienda oratio. Et paulò pòst: *Si Apostoli & Martyres, adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent essent soliciti, quanto magis post coronas, victorias, & triumphos?* Et iterùm: *Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas: & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro ijs, qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit? Meliorq́ erit Vigilantius canis viuens, quàm ille leo mortuus?*

Quando defendit sextum articulum, qui fuit ex S. Cyrillo, quem ille contra adorationem Crúcis citauerat; atque hæc verba tractat, *Vt spirituales sibi faceret adoratores*; vel; *Vt spirituales suos faceret adoratores,* id est, *Vt eos, qui se adorarent, spirituales efficeret*; Nam in editione Latina Oecolampadij, ad quam, quòd Gręca careamus, redacti sumus, nec *sibi*, nec *suos*, nec huiusmodi aliqua particula est, sed tantùm, *vt spirituales faceret adoratores*; Vt quo sensu illa intelligi vult, eum confirmet,

ex

ex Commentarijs D. Cyrilli in S. Ioannem profert, Ipſum ſatis oſtendere, nolle ſe adorari à nobis Crucem. Hæc illius verborum formula eſt : *Et notate*, inquit Dominus du Pleſſis, *adoratores ſpirituales, & non adoratores ligni & lapidis, &c. Eodem ſanè ſenſu, quo, poſtquam in libro octauo in S. Ioannem, capite decimo ſeptimo dixerat; CRVX LIGNVM ILLVD EST, QVO IN DESERTO SVSPENSVS SERPENS ÆNEVS OMNIBVS IPSVM CONSPICIENTIBVS SANITATEM A MORSV SERPENTVM REDDIDIT: immediatè adiungit, vt à ſigno ad rem ipſam reducat: NAM QVISQVIS OCVLOS ANIMI IN CHRISTVM CRVCI AFFIXVM CONVERTERIT; non dicit oculos corporales in Crucem, AB OMNI VVLNERE PECCATI ILLICO CVRABITVR.* Sed quis credet, quod modò dicturus ſum? Illa ſunt verba Doctoris cuiuſdam Sorbonici, qui hoc ſæculo vixit, & Gallicè vocatur, *Noſtre Maiſtre*

Dominus Pl ſſ. ue 3. edit. p 50.

Maistre Iosse Clithou; Latinè verò, *Magister noster Iodocus Clithoueus*, Canonic' Carnutensis, & ꝓpinquorũ Cardinalis Amboisij Præceptor, q̃ pro verbis S. Cyrilli veteris in Ægypto Episcopi & Eccles. Doctoris allegat. O incredibilẽ vim fidei Dñi du Plessis, qui mortuos, neque quatriduanos mortuos, vti Dominus noster, sed mille & centum, ducentosúe annos mortuos ad vitam reuocat, vimq; loquendi illis restituit! J nunc, & nega Samurij miracula patrari. De hoc igitur historia est eiusmodi. Ex duodecim libris Cõmentariorum, quos S. Cyrillus Alexandrinus in S. Ioannem scripserat; quattuor medij iniuria temporis perierunt, neque reliqui nobis sunt, nisi quattuor primi & quattuor postremi. Bonus vir Iodocus Clithoueus, cùm vellet instaurare hanc ruinã, efficereq;, vt in hoc volumine Lectores continuam in S. Ioannem expositionem haberent, suppleuit illos quattuor, qui desiderabãtur; & vt Lectoribus sui operis rationẽ daret, ꝓposuit

Epi-

Epiſtolam, qua, quid acciderit commemorat, eiq́; has notationes adiunxit; [a] *Hîc finiunt quattuor primi libri S. Cyrilli, & incipiunt Iodoci Clithouei.* Rurſus: *Hîc finiunt quattuor libri ſupplementi Iodoci Clithouei, & denuo incipiunt libri S. Cyrilli.* Iam Dominus du Pleſſis, vel is, à quo memoriales Schedas accepit, inſtituens ſua ſtudia *ad aperturam libri*, & quaſi è libris ſortiendo luderet, ſic, vt neque quid ſuas allegationes præcedat, neque quid ſequatur, attenderet; eo diſcretionis ſpiritu, qui quę ſtyli Canonici ſunt, ab ijs, quę ſunt apocrypha, nouit diſtinguere, & hominum linguas, Angelorumq́; diſcernere; Magiſtri Iodoci Clithouei commentarios pro S. Cyrilli commentarijs accepit. Huic homini quid hîc facias, quàm vt eum præ admiratione intueare, eique coràm arrideas? Hunc bonum Doctorem Sorbonicum, qui inter inſigniores Eccleſiaſticæ doctrinæ propugnatores fuit vnus; qui Antilutherum ſcripſit, qui Lutheranorum articulo-

[a] *Interpres editionem illam non habuit.*

rum

rum censuram scripsit, qui libros cõplures aduersus Oecolampadium, aliosq́; huiusmodi nouorum dogmatũ inuentores, atque in ijs, tractatus integros de Crucis adoratione scripsit: hunc ille non veretur, sub falso titulo & ridicula persona S. Cyrilli, aduersus adorationem Crucis citare. Dubitate iam, quid antiquis Patribus imposuerit. Et adhuc parum esset, si semel dumtaxat se Lectorum risui per hanc ignorantiã sacrificasse contentus fuisset: Verùm qualibet occasione præclaros istius ineptiæ fructus producit. Nam in suo libro de Eucharistia, cùm aduersus Missæ sacrificium disputat, hæc eiusdem Iodoci Clithouei verba sub nomine S. Cyrilli adfert; *Verùm Paulus in epistola ad Hebræos non peccatorum secũdam aut tertiam aufert remissionem, sed aufert secundam oblationem, eo quòd Christus semel oblatus est, neque amplius offerri potest*; & quidem miserabiliter adulterata: nã in contextu sic habetur; *Sed hostiam, quæ Christus est, iterum in cruce offerendam*

Lib. 4. c. 4. 1. ed. p. 403.

dam pro nobis negat: Neque tam malè fortunatam ſe videt habere manum adimponendum Auctoribus, vt hic idem Iodocus Clithoueus, quem cõtra Miſſæ ſacrificium allegat, integrum librum aduerſus Lutherum ſcripſerit, vt Miſſam eſſe verè, propriè, & realiter ſacrificium demonſtraret. Et cùm aduerſus liberum arbitrium diſputat, rurſum aliud longum ex eodem Iodoco Clithoueo, quem ſub titulo S. Cyrilli perpetuo è cingulo ſuſpenſum habet, citat teſtimonium: Neque videt; quanquam quid videt? verum S. Cyrillum in commentarijs in S. Iohannem hæc verba dicere, quæ ipſius iugulum petunt; *Non enim poſſumus ſecundum Eccleſiæ, veritatiſq́; dogmata, liberam poteſtatem hominis, quod liberum arbitrium appellamus, vllo modo negare:* Et S. Cyrillum Samurienſem, id eſt, Iodocum Clithoueum, ſingularem pro liberi arbitrij defenſione diſputationem aduerſus Lutherum inſtituere. Et poſt hæc omnia, poſt epotas harum abſur-

Lib. 3. c. 16. 1. ed. p. 637.

Cyr. in Ioan. l. 4. cap. 7.

abſurditatum opprobrationes, poſtquam ipſe ideò reprehenſus, exſibilatus, deriſus fuit, pro eo vt opprobrijs caſtigaretur, eum hoc etiam ad eundem ignorantiæ ineptiæq; ſcopulum ridiculum famæ naufragium facere, quis credere poterit?

Sed redeamus ad verba obiectionis, videamusq; quid nouus hic nos S. Cyrillus, miraculis Apoſtolatus Domini du Pleſſis à mortuis excitatus docturus ſit. *Quiſquis*, inquit, *oculos animi in Chriſtum cruci affixum conuerterit, ab omni vulnere peccati illico curabitur.* O dignã Theologia Domini du Pleſſis Dialecticam! Quiſquis oculos animi in Chriſtum cruci affixum conuerterit, ab omni vulnere peccati illico curabitur: Ergo non oportet adorare Imaginem Crucis. In quem, obſecro, putat Dominus du Pleſſis nos oculos animi habere conuerſos, cùm viſibilem Crucis Imaginem intuemur & adoramus, niſi in Chriſtum Cruci affixum? In quem putat hũc eundem Iodocum Clithoueum,

ueum, quem pro S. Cyrillo venditat, oculos animi habuisse cõuersos, quãdo in commentariis in S. Damascen. dicebat: [a] *Cæterũ cùm crucẽ adoramus & veneramur, non materiã ipsam, ex qua cõponitur, honoramus, sed figurã ipsam, tanquam signũ Christi:* nisi in Christũ cruci affixum? In quem putat ipsum S. Damascenum oculos animi habuisse cõuersos, quando dicebat: προσκυνοῦμεν οὖν καὶ τὸν τύπον τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, εἰ καὶ ἐξ ἑτέρας ὕλης γένηται, οὔτε ὕλην τιμῶντες, μὴ γένοιτο, ἀλλὰ τὸν τύπον ὡς Χριστοῦ σύμβολον. *Quin* [b] *figuram etiam præclaræ ac viuificæ crucis adoramus, tametsi ex alia materia constructa sit: non quod materiam colamus (procul hoc absit) sed figuram, vt qua Christus designetur;* nisi in Christum cruci affixum? In quem putat. Concilium Constantinopolitanum, celebratum sub Iustiniano, oculos animi habuisse conuersos, quando de cruce loquens abhinc annis propè millenis dicebat; καὶ νῷ, καὶ λόγῳ, καὶ αἰσθήσει τὴν προσκύνησιν αὐτῷ ἀπονέμοντες. [c] *Et mente, & sermone, & sensu adorationem ipsi tribuentes;* nisi

[a] Clithou. in Damascen. lib. 4. c. 12.

[b] Damascẽ. orthod. fidei lib. 4. c. 12.

[c] Conc. Constantinopol. in Trull.

G

niſi in Chriſtum cruci affixum? In quem putat S. Leontium Neapolitanum in Cypro Epiſcopum, quem idē S. Damaſcenus citat, oculos animi habuiſſe conuerſos, quando ſub Imperatore Mauricio, mille abhinc annis dicebat; ὅταν τοίνυν ἴδῃς Χριστιανὸν προσκυνοῦντα τῷ σταυρῷ, γνῶθι, ὅτι διὰ Χριστὸν τὸν σταυρωθέντα, καὶ οὐ τὴν φύσιν τοῦ ξύλου προσκυνεῖ.[a] *Quando Chriſtianos videris, ô Iudæe, Crucem adorare, ſcito cultum illum Chriſto cruci affixo, non autem ligno exhiberi:* niſi in Chriſtum cruci affixum? In quem putat S. Gregoriū Turonenſem S. Gregorio Magno carum & amicum familiarem, oculos animi habuiſſe conuerſos, quando in Gallia eodem tempore, id eſt, abhinc mille annos ſcribebat; [b] *Crux Dominica, quæ ab Helena Auguſta reperta eſt Hieroſolymis, ita quarta & ſexta feria adoratur.* Et iterùm; [c] *Ingreſſusque monaſterium, conſalutata Regina, coram adoranda cruce ac ſacris Beatorum proſternor pignoribus:* niſi in Chriſtum cruci affixum? In quem putat ſanctum illum virum

[a] *S. Leōtius contra Iudæos libr. 5. apud Damaſcen. de Imaginib. libr. 3.*

[b] *Greg. Turon. de gloria Martyr. l. 1. art. 5.*

[c] *Idem paulò poſt.*

virum Thomam Apameenſem Epiſcopum, omnesq; Apameenſes, mille & quinquaginta abhinc annis, oculos animi habuiſſe conuerſos, quando imminentem ſibi in ſui cædem Perſarum Regem Choſroën videntes, in Supplicatione extraordinaria comportari Crucem curarunt; ὡς δ' οὖν προσκυνῆσαί τε καὶ κατασπάσασθαι τὸν τίμιον σταυρὸν ἠξιώθημεν, ἄρας ὁ Θωμᾶς ἄμφω τὼ χεῖρε τὸ τῆς ἀρχαίας κατάρας ἐξελειπτήριον τοῦ σταυροῦ ξύλον ἠπεδείκνυ πάντῃ τῶν θείων ἀνακτόρων περινοστῶν, ὥσπερ ἐν ταῖς κυρίαις τῶν προσκυνήσεων ἡμέραις εἴθιστο. [a] *Vti in ſtatis adorationis diebus fieri ſolebat*; inquit Euagrius, antiquus auctor Grecus, qui præſens aderat; *eamque honorarunt & amplexati ſunt*, niſi in Chriſtum cruci affixum? In quem putat Imperatorem Iuſtinianum primum oculos animi habuiſſe conuerſos, quando annos abhinc mille & ſeptuaginta ſuis legib. vetabat, ne quod monaſterium conſecraretur, quin ipſe locorum Epiſcopus adeſſet, [b] *ibique adorandam & honorandam verè crucem*

[a] *Euagrius lib. 4. c. 25.*

[b] *Iuſt. Imp. in Auth. de Monach. figens in eo ſalutis noſtra ſignum, dicimus autē adorādam & honorādam verè crucem.*

cem

cem fixiſſet; niſi in Chriſtum cruci affixum? In quem putat Caſſiodorum oculos animi habuiſſe conuerſos, quando eodē tempore dicebat: [a] *Significat fortè (locus iſte) ſanctam crucem, vbi corporaliter ſtetit, &c. Meritò ergo hunc Propheta locum dicit adorandum, qui nobis & fidei ſignum præſtitit, & ſalutem*; niſi in Chriſtum cruci affixum? In quem putat Ruſticum Diaconum oculos animi habuiſſe conuerſos, quādo abhinc mille & centum annis, in libro contra Acephalos Baſileæ edito ſcribebat; [b] *Nec non & clauos, quibus confixus eſt, & lignum venerabilis Crucis, omnis per totum mundum Eccleſia abſque vlla contradictione adorat*: niſi in Chriſtum cruci affixum? In quem putat Sedulium oculos animi habuiſſe conuerſos, quando abhinc mille & ducentis propè annis dicebat;

[c] *Neue quis ignoret ſpeciem Crucis eſſe colendam*;

niſi in Chriſtum cruci affixum? In quem putat S. Athanaſium, non Alexandrinum, ſed auctorem ſcripti ad

[a] *Caſsiodor. in pſal. 132.*

[b] *Ruſtic. Diac. contra Aceph.*

[c] *Sedulius in carm Paſch.*

Principem Antiochum, eundemque S. Cyrilli æqualem, oculos animi habuisse conuersos, quando dicebat: τὸν μὲν τοῦ σταυροῦ τύπον, ἐκ δύο ξύλων συνάπτοντες, ἡνίκα τὶς ἡμῖν τῶν ἀπίστων ἐγκαλέσει ὡς ξύλον προσκυνοῦντας, δυνάμεθα τὰ δύο ξύλα χωρίσαντες, καὶ τὸν τύπον τοῦ σταυροῦ διαλύσαντες, ταῦτα ὡς ἀργὰ ξύλα ἡγεῖσθαι, καὶ τὸν ἄπιστον πεῖσαι, ὅτι οὐ τὸ ξύλον σέβομεν: ἀλλὰ τὸν τοῦ σταυροῦ τύπον. [a] *Figuram quidem Crucis ex duobus lignis compingentes conficimus, vt si quis Infidelium id in nobis reprehendat, quòd veneremur lignum, possimus duob. inter se disiunctis lignis, & crucis dirempta forma, ea tanquam inutilia ligna reputare, & infideli persuadere, quòd non colamus lignum, sed quòd crucis typum veneremur*; nisi in Christum Cruci affixum? In quem putat S. Asterium Amasiensem Episcopum, celebrem eiusdem sæculi auctorem, & à secundo Concilio Nicæno citatum, oculos animi habuisse conuersos, quando de S. Euphemiæ loquens effigie dicebat; φαίνεται ὑπὲρ κεφαλῆς τὸ σημεῖον ὃ δὴ νόμος Χριστιανοῖς προσκυνεῖν τε καὶ ἐπιγράφεσθαι,

[a] *Athanas. q. 16. Sel. 41.*

[a] *Asterius Episcop. Amas. citatus in Conc. Nican. 2. Act. 4. & 6.*

Apparet [a] *supra caput illius signũ, quòd scilicet Christianorum consuetudine adoratur, & passim inscribitur*; nisi in Christum cruci affixum? In quem putat S. Hieronymum oculos animi habuisse cõuersos, quando annis abhinc mille & ducentis, nomine Paulę & Eustochij, scribebat; [b] *Ergone erit illa dies, quando nobis liceat speluncã Saluatoris intrare, &c. Crucis deinde lambere lignum*? Et iterùm, S. Paulæ vitam & laudes celebrans: [c] *Prostrata ante crucem, quasi pendentem Dominũ cerneret, adorabat:* nisi in Christum cruci affixum? In quem putat S. Chrysostomũ oculos animi habuisse conuersos, quando, antè etiam, scribebat: ὅτι δὲ σεβάσμιος καὶ προσκυνητὸς ὁ τοῦ Χριστοῦ σταυρὸς καὶ ὁ τύπος αὐτοῦ, καὶ τοῦτο οἱ προφῆται διδάσκουσι. [d] *Quia colenda & adoranda Christi crux, & figura eius; & hoc Prophetæ docent*; nisi in Christum cruci affixum? In quem putat Episcopum Hierosolymitanum oculos animi habuisse conuersos, quando S. Paulinus in suis epistolis, Basileæ editis, abhinc mille & ducentos annos de

[b] *Hieron. ad Marcell.*

[c] *Idem in Epitap. Paul.*

[d] *Chryso. de adorat. crucis.*

de ipso dicebat: [a] *Quam Episcopus vrbis eius quotannis, cùm pascha Domini agitur, adorandam populo, princeps ipse venerantium promit:* nisi in Christum cruci affixum? Jn quem putat S. Ambrosium oculos animi habuisse conuersos, quando de vno clauorũ crucis loquens, quo Helena Constantini diadema ornari curauerat, dicebat; [b] *Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite Regum leuauit & locauit, vt crux Christi in Regibus adoretur:* nisi in Christum cruci affixum? Jn quem denique putat Magnum illum Constantinum, primum Jmperatorem Christianum, oculos animi habuisse conuersos, quãdo generale totius exercitus militare signum, quod Labarum appellabant, *ἐκέλευσεν εἰς σταυροῦ σύμβολον μετασκευάσαι τὸ παρὰ ῥωμαίοις καλούμενον λαβῶρον, &c. ὃ καὶ προσκυνεῖσθαι νενόμιστο παρὰ τῶν στρατιωτῶν, &c.* [c] *quod milites,* inquit Sozomenus, *adorare consueuerant*, in effigiem Crucis transformauit; nisi in Christũ cruci affixum?

[a] *Paulin. Episc. Nolan. l. 2. Epist. 3.*

[b] *Ambros. de obitu Theodos.*

[c] *Sozomen. hist. Eccles. l. 1. c. 4.*

Dominus du Plessis prosequitur,

& addit Episcopum Ebroicensem ad obiectionem ex D. Ambrosio allatam sibi respondisse, Propositionem istam distinctione adorationis duliæ & latriæ explicandam esse. Quod tamen Episcopus Ebroicensis ipsi non respondit: sed eam quidem explicandá esse distinctione adorationis absolutæ & relatiuæ: quibus vocibus vsus est, tum quòd eas Auditoribus intellectu faciliores existimaret, minusq; calumniæ Grammaticorum obnoxias; tum quòd suo proposito accommodatiores essent, quippe in re inanima, neque capaci sensus. Quod si Dominus du Plessis tùm, vice Adorationis relatiuæ, Adorationem Latriæ intellexit: non est mirum: Potest enim fieri, vt etiam ipsius aures, non minus quàm aliàs oculi, errauerint. Attamen ex hoc fallaci fundamento sic scribit; *Contendit Dominus du Plessis distinctionem illam friuolam esse, sacræ scripturæ & Patribus incognitam, affictamq; S. Augustino, qui eam nunquam sic intellexit: Sed Dominus Ebroicẽsis nunquam*

Dominus Plessius 3. edit. p. 51. & 52.

quam

quam eò voluit ingredi. At verò neque Dominus du Pleſſis eâ formâ ſuam obiectionem propoſuit, ſed ſolùm dixit, diſtinctionem eam friuolam eſſe, nec vllum habere legitimum fundamentum: neque eam Epiſcopus Ebroicenſis tacitam dimiſit, ſed è veſtigio regeſſit, habere eam fundamẽtum & in ſcriptura, & in ipſo S. Ambroſio: Quod, de ſcriptura, vt probaret, attulit, vt iam ſuperius indicatum eſt, exemplum Arcæ fœderis, cuius adorandæ mos & præceptum fuit Iſraelitis: Et hoc ergo adoratione relatiua, non autem abſoluta. Verùm demus Dominum du Pleſſis feciſſe id, quod ait, ac deinde videamus, quis cauſſa caſurus ſit. *Diſtinctio Latriæ & Duliæ*, inquit, *friuola eſt, ſcripturæ ac Patribus incognita, affictaque S. Auguſtino, qui eam nunquam ſic intellexit.* Ego verò dico & in ſcriptura fundamentum habere, neque Patribus incognitam, neque S. Auguſtino affictam; ſed eam S. Auguſtinum intellexiſſe, vti Catholici intelligũt. Nam

Ioſua 7. Pſalm. 98. 1. Par. 28.

in primis, vt aliqua diſtinctio in ſcriptura fundari cenſeatur, non eſt neceſſarium, vt verba ipſa, quibus exprimatur, illic inueniantur: Satis eſt, ſi illius faciendæ ratio inueniatur; vt cùm difficultates myſterij Trinitatis per diſtinctiones eſſentiæ & perſonæ, ſubſtātiæ & ſubſiſtentiæ explicamus; certum eſt voces illas nuſquam in ſcriptura reperiri. At verò in Biblijs duæ ſpecies adorationis ſunt, quemadmodum duæ ſpecies ſuperioritatis: Adoratio enim nihil aliud eſt, q̃ agnitionis ſuperioritatis teſtimonium: Vna eſt ſuprema, ſingularis & incommunicabilis, quæ non niſi ſoli Deo deferri debet, neque ad vllam creaturam extendi, vel ei communicari poteſt: Altera finita, ſubalterna, & communicabilis, quæ creaturis attribui poteſt: Et hæc iterum duplex, nempe, vna, quæ ob ſimplicem excellentiam, humanam & ciuilem, defertur, cuiuſmodi, quę Magiſtratibus exhibetur: & altera, quæ ob excellentiam plus quàm humanam & ſuper-

natu-

naturalem; cuiuſmodi, qua complures veteris Teſtamenti Patres Angelos affecerunt, quos adorarunt, coramq; eis ſe proſtrauerunt: & cuiuſmodi, quam Prophetæ Hierichuntini Eliſeo exhibuerunt. Non enim dici poteſt Prophetas Hierichuntinos adoraſſe Eliſeum ratione aliqua ciuili, cùm paullo antè illum allocuti eſſent, deq; tollendo ipſius Domino admonuiſſent abſq; vlla honoris ſignificatione: neque illum antè adorare cœperunt ſeque ante illum proſtrauerunt, quàm Spiritum Heliæ ſuper eum requieuiſſe animaduerterent. Quapropter quis non iudicet veteres diſtinctionem hanc ex ſcriptura deprompſiſſe, etiamſi verba ipſa, quæ tantummodo veſtes ſunt & indumẽta conceptuum, in ſcriptura non reperirentur? Attamen tam in eo fuerunt religioſi, vt & corpus, & veſtẽ, & ſenſum & verba ſimul accipere voluerint. Cùm enim animaduerterent Scripturam tanquam affectaſſe & deſtinaſſe vocabulum, *Latriæ*, ad iſtam ſupre-

4. Reg. 2.

ſupremam, ſingularem & incommunicabilẽ, quæ vni Deo debetur, adorationem ſignificandam, neque Bibliorum Græcorum editionem vocem hanc alio ſenſu vſurpare vnquã, aut ita rarò, vt particularis exceptio tam generali regulæ derogare non poſſit: Contrà verò verbum, *Duliæ*, extendere & cōmunicare tam Deo, quàm creaturis: Putauerunt nomen, *Latriæ*, eligendum, ad eminentiorem adorationis ſpeciem, nempe adorationem diuinam & incommunicabilem exprimendam; nomen verò, *Duliæ*, ad commune genus adorationis, quæ cuicunque ſuperioritati defertur ſine diſcrimine ſignificandum, ſiue illa ſingularis ſit, ſiue ſubalterna: Et vt accidit, vt ad ſpecies, quę ſuo peculiari nomine carent, deſignandas, ipſum ſimplex generis nomen plerunque adhibeatur; cùm actum fuit, vt duæ adorationis ſpecies, per modum diſtinctionis, inter ſe opponerentur, ſimplex, *Duliæ*, nomen ad ſubalternam adorationem reſtrinxerũt.

Agè

Agè iam, quid hac in re censuræ consistorij obnoxium est? Nam clamare, vti Geneuenses faciunt, nomina, *Latriæ*, &, *Duliæ*, non eo pacto in profanis scriptis distingui; quid hoc aliud est, quàm virgis Grammaticæ regere velle Theologiam? Quælibet scientia sua sibi peculiaria habet vocabula, quæ à Grammatica quidem mutua accipit; verùm, quia, conceptionum multitudo cùm longè vocabulorum numerum excedat, eadem vocabula diuersis deseruire vsibus necesse est; ea hæc ad alias significationes applicat, deflectit, ac restringit. Ideoq; cùm verbum aliquod ex naturali velut trunco amputatum, & tãquam in truncum Philosophiæ aut Theologię translatum atque insitum est; mirum videri nõ debet, si sensum naturamq; mutet. Doctores Ecclesię magnum statuunt discrimen inter *creare*, & *facere*; vniusq; potestatem soli Deo deferunt, alterius verò etiam ad creaturas extendunt, illisq; communicant. Attamen profanos Scri-

ptores

ptores ſeu Græcos ſeu Latinos certum eſt ad hoc ſe ſe diſcrimen non alligare. Quid ergo? Quia regulæ & canoni Grammaticorum non reſpondet, id nouaculę ſubijciendum, aut ad fornacem denuo liquandum conijciendum eſt? Hoc auerruncabunt ſuperi. Sed ad Patres redeamus. *Hæc diſtinctio*, inquit Dominus du Pleſſis, *Patribus incognita eſt, atque adeo S. Auguſtino impoſita, qui eam nunquam ſic intellexit*. Jtáne eſt? Quid ergo ſibi volunt tot loca D. Auguſtini, D. Anaſtaſij, D. Damaſceni, D. Gregorij Nazianzeni, D. Hieronymi, & aliorum eiuſdem modi Patrum, quos Catholici quauis occaſione citant quotidie? Nam quando S. Auguſtinus, abhinc annos millenos ducentenos, aduerſus Fauſtum Manichæum ſcribebat; *Populus* [a] *Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur*: Et iterùm; *Colimus Martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita*

[a] *Auguſt. cont. Fauſt. lib. 20. c. 21.*

vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratum esse sentimus: sed illos tanto deuotius, (Nota, *deuotiùs*) *quanto securiùs.* Et admodum paullo pòst; *At illo cultu, quæ Græcè Latria dicitur, Latinè vno verbo dici non potest, cùm sit quædam propriè diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum:* quid aliud intelligebat, quàm quod hodieq́; Catholici intelligunt? Et quando idem in quæstionibus in Genesin, postquam dixerat; [a] *Quæritur, quomodo scriptum sit; Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies; Cùm Abrahã sic honorauerit populum quẽdam Gentium, vt etiam adoraret,* Adiungebat: *Sed animaduertendum est, in eodem præcepto non dictum, Dominum Deũ tuum solum adorabis: sicut dictum est, & illi soli seruies: quod est Græcè λατρεύσεις: Talis enim seruitus non nisi Deo debetur. Vnde damnantur Idololatræ, id est, eiusmodi seruitutem exhibentes Idolis, quæ debetur Deo. Nec moueat, quod alio loco in quadam scriptura prohibet Angelus hominem adorare*

[a] Idem, lib. 1. super Genes. quæst. 61.

adorare se, & admonet, vt Dominus potius adoretur: Talis enim apparuerat Angelus, vt pro Deo posset adorari; & ideo fuerat corrigendus adorator: quid aliud intelligebat, quàm quod hodieq; Catholici intelligunt? Et quando idem in Exodum dicebat: [a] *Hîc Græcus, δουλεύσεις, habet, non λατρεύσεις. Vnde δουλεία debetur Deo, tanquam Domino; λατρεία verò non nisi Deo, tanquam Deo:* Et in Leuiticum; [b] *Seruire hominibus, quomodo serui seruiunt, quod non est, λατρεύειν, sed, δουλεύειν, scriptura non prohibet:* Et in decimo de Ciuitate Dei; [c] *Latria secundum consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis diuina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, vt pænè semper, ea dicitur seruitus, quæ pertinet ad colendum Deum:* quid aliud intelligebat, quàm quod hodieq; Catholici intelligunt? Et quando S. Anastasius Patriarcha Antiochenus, atque Ecclesiarum Asiæ supremus inspector abhinc annos millenos cẽtenos in scripto quodam quod Concilium Nicænum secundum citauit, dicebat;

[a] *Idem in Exod. lib. 2. quæst. 94.*

[b] *Idẽ in Leuit. l. 3. q. 66*

[c] *Idem l. 10. de ciui. Dei cap. 1.*

καὶ μηδεὶς προσκοπέτω τῇ τῆς προσκυνήσεως σημασίᾳ· προσκυνοῦμεν γὰρ καὶ ἀνθρώπους καὶ ἀγγέλους ἁγίους, οὐ μὴν λατρεύομεν αὐτοῖς. [a] *Nemo autem offendatur in adorationis vocabulo. Siquidem & homines & sanctos Angelos adoramus, non autē quod λατρείαν, hoc est cultum diuinum exhibeamus:* quid aliud intelligebat, quàm quod hodieque Catholici intelligunt? Et quando S. Damascenus abhinc propè nongentis annis dicebat: ἡ προσκύνησις ὑποπτώσεως καὶ τιμῆς ἐστὶ σύμβολον. καὶ ταύτης διαφόρους ἔγνωμεν τρόπους. πρώτην τὴν κατὰ λατρείαν, ἣν προσάγομεν μόνῳ τῷ φύσει προσκυνητῷ θεῷ. ἔπειτα τὴν διὰ τὸν φύσει προσκυνητὸν θεὸν προσαγομένην τοῖς αὐτοῦ φίλοις καὶ θεράπουσιν. ὡς τῷ ἀγγέλῳ Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ναυὴ, καὶ Δανιὴλ προσεκύνησαν ἢ τοῖς θεοῦ τόποις, ὥς φησιν ὁ Δαβὶδ, προσκυνήσομεν εἰς τὸν τόπον, οὗ ἔστησαν οἱ πόδες αὐτοῦ, καὶ τοῖς αὐτοῦ ἀναθήμασιν, ὡς ἅπας ὁ Ἰσραὴλ τῇ σκηνῇ προσεκύνει. [b] *Adoratio est animi cedentis, id est, submissi atque humilis significatio. Adorationis autem genera sunt complura. Primum enim genus est, quod per Latriam, quam soli Deo natura ado-*

[a] *Anast. Episc. Antiochen. citatus in Cont. Nicæn. 2. Act. 4.*

[b] *Damasce. de Imp. l. 3.*

râ adorando tribuimus, exhibetur. Secundum, quod propter Deum natura adorandum amicis eius ac seruis exhibetur, velut Angelum Iesus Naue & Daniel adorarunt: (Sanctus enim Damascenus in eo Theodoreti opinionē sequitur, * qui ex capite 33. Exodi probat Angelum, qui in persona Dei Josue loquebatur, Deum non fuisse) *aut loca Dei præsentia insignita, vti Dauid inquit, Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius. itemq́; omnia ipsi consecrata & dicata, vnà cum ipso tabernaculo vniuersus Israël adorabat:* quid aliud intelligebat, quàm quod hodieq́; Catholici intelligunt? Et vt ad eos, qui distinctionem hanc non exprimebant, sed præsupponebant ueniamus; Quando S. Gregorius Nazianzenus abhinc mille ducentos & viginti annos in Cappadocia, grauissimum omnium criminum esse dicebat adorationem Creatoris ad creaturam trāsferre; ac deinde post quartam periodum addebat; καὶ τὴν φάτνην προσκυνήσον, δι' ἣν ἄλογος ὢν, ἐτράφης ὑπὸ τοῦ λόγου. [a] *Præsepe, in quo, cùm ratione careres,*

* *Theod q. in Ios. c. 4.*

[a] *Greg. Nazianz. orat. de natiuit. Christi.*

careres, à verbo enutritus es, adora: quid aliud intelligebat, quã quod hodieq; Catholici intelligunt? Et quando S. Hieronymus diſputans contra Vigilantium,qui ambiguo verbi, *Adorare*, ad honorem, qui Reliquijs Martyrũ ab Eccleſia deferebatur, calumniandum abutebatur, dicebat; [a] *Nos non Martyrum reliquias, &c. adoramus*: Et iterùm: [b] *Quis aliquando Martyres adorauit?* Et nihilominus in epiſtola, quã nomine Paulæ & Euſtochij ad Marcellam ſcribebat; & in Apologia contra Ruffinum; vbi perſonas alloquebatur, de quibus nõ erat ſuſpicio ambiguitate huius vocis abuſuras, exclamabat; [c] *Ergóne erit illa dies, quando nobis liceat &c. Crucis lambere lignum &c. Samariam pergere, & Iohannis Baptiſtæ, Heliſæi quoque, & Abdiæ pariter cineres adorare?* Et iterùm: [d] *Bethlehem meam reuerſus ſum, vbi adoraui præſepe & incunabula Saluatoris:* quid aliud intelligebat, quàm quod hodieq; Catholici intelligunt: Nempe, duas eſſe ſpecies adorationis: alteram ſoli Deo pro-

[a] *Hierony. adu. Vigil. epiſt. 1.*
[b] *Idem ep. 2. adu. Vigilan.*
[c] *Idem epiſt. ad Marcellam.*
[d] *Idem Apolog. aduer. Ruff. l. 3.*

priam, ipsiq; propter seipsum delatam: alteram creaturis propter Deũ, in quibus per effecta, vel per signa, seu gratiæ, seu gloriæ, residet, communicabilem: Vnam Latriæ; & alteram Duliæ: aut, vt loquamur subiecto & terminis quæstionis accommodatè, vnam absolutam, & alteram relatiuam?

Dominus Plessius 3. edit. p. 52.

Dominus du Plessis progreditur, & obijcit Episcopum Ebroicensem non aduertere, quid præiudicij aduersus Missæ sacrificium imprudens adferat, quòd respondeat Iulianum Apostatam non exprobraturum fuisse Christianis, ipsos Crucem adorare, nisi id verum fuisset. *Ergo*, inquit Dominus du Plessis, *cùm Iulianus illis opprobrat, ipsos non sacrificare, &c. fidem etiam faciet Christianos istius sæculi non sacrificasse.* Ad quod, si aures habuisset ad audiendum, Episcopum Ebroïcẽsem intellexisset iam ante per præoccupationem respondisse, cùm ei differentiam indicaret, qua Christiani istius sæculi in actionibus, quib. Crucem

cem venerabantur, & in actionibus, quibus ſacramenta ſua & myſteria celebrabant, vtebantur. Quæ enim illi honorandę crucis gratia faciebāt, ea in conſpectu cœli & terræ faciebant: Et quanquam in ſuis aduerſus Ethnicos cōteſtationibus quàm minimam poterant, contra hunc articulum quippiam inferendi obijciendiúe occaſionem dabant, ne, antè ad acceſſoria diſputatio adhæreſceret, quàm id, quod caput & præcipuum eſt, conſtabilitum foret: non tamen ad ea exercenda ſe abdebant, ſed ſibi hoc gloriæ & pro trophæo ducebant, ea totius mundi, & vel ipſorummet Infidelium oculis exponere. Teſtantur id ea, quæ nuper è Sozomeno, qui fuit ſcriptor S. Cyrilli æqualis, laudabamus; Conſtantinum Iuliani Apoſtatę auum Labarum, generale totius Imperij militare ſignū, quod milites adorare conſueuerant, in effigiem crucis transformaſſe, vt τῇ συνεχεῖ θέα καὶ θεραπείᾳ [a] *hoc continuo aſpectu cultuque*, vt ipſemet interpretatur Sozomenus, eos

Vide ſupra. pag. 34.

[a] *Sozomen. hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 4.*

 ad

ad Chriſtum pro Deo habendum adduceret. At in ijs actionibus, quæ ad ſacramenta & myſteria pertinebant, in quibus præcipua erat actio ſacrificij, ad eas tacitas occultasq; ſeruandas, neque Infidelium, imò ne ipſorum quidem Catechumenorum, id eſt, Chriſtianorum necdum baptizatorum oculis, auribuſue credendas, ſacramento ſe & ſub pœna ſacrilegij obſtringebant. [a] *Si dixerimus Catechumeno*, inquit D. Auguſtinus, *credis in Chriſtum? Reſpondet, credo, & ſignat ſe cruce Chriſti: portat in fronte, & non erubeſcit de cruce Domini ſui. Ecce, credit in nomine eius. Interrogemus eum, Manducas carnem Filij hominis, & bibis eius ſanguinem? Neſcit quid dicimus.* Et in epiſtola ad Honoratum Catechumenum: [b] *Hinc gratias agimus Domino Deo noſtro, quod eſt magnum ſacramentum in ſacrificio noui Teſtamenti, quod vbi, & quando, & quomodo offeratur, cùm fueris baptizatus, inuenies.* Neque ſolùm S. Auguſtinus, ſed omnes cæteri eiuſdem ſæculi ſcriptores. οὐχ αἰσχυνόντων

[a] *Auguſt. tract. 11. in Ioan. c. 3.*

[b] *Idē epiſt. 120. c. 19.*

τῶν

τοῦ τε ἐπὶ κατηχουμένων, καὶ τό γε χεῖρον, ἐπὶ ἑλλήνων τραγῳδοῦντες τὰ μυστήρια. [a] *Arianos*,(inquit ex Synodo Alexandrina D. Athanasius) *non pudet coram Catechumenis, & quod peius est, coram Ethnicis de mysterijs tragicari.* Et Iulius primus, quem in eadem caussa idem D. Athanasius laudat: ἐπὶ δὲ ἐξωτικοῦ δικαστοῦ παρόντων κατηχουμένων, καὶ τότε χεῖρον, ἐπὶ ἐθνικῶν καὶ ἰουδαίων τῶν διαβεβλημένων περὶ τὸν Χριστιανισμὸν ἐξέτασις περὶ αἵματος Χριστοῦ καὶ σώματος Χριστοῦ, γίνεται. [b] *Sub externo*, inquit, *Iudice præsentibus Catechumenis, & quod peius est, Ethnicis & Iudæis Christianismum blasphemantibus, quæstio de sanguine & corpore Christi habetur?* Et S. Ambrosius: [c] *Nunc*, inquit, *de mysterijs dicere tempus admonet, atque ipsam sacramentorum rationem edere, quam ante Baptismum, si putassemus insinuandum nondum initiatis, prodidisse potius, quàm edidisse æstimaremur.* Et iterùm: [d] *Fons signatus. quo significat*, inquit de Eucharistia loquens, *signatum debere apud te manere mysterium, &c. ne diuulgetur, quibus non conuenit,*

[a] *Athanas. Episc. Alex. Apol. 2.*

[b] *Idem ib.*

[c] *Ambr. lib. de ijs qui myster. initiantur c. 1.*

[d] *Idem ib. cap. 9.*

uenit, ne garrula loquacitate dispergatur in perfidos. Et ipsius æqualis, Gaudentius Episcopus Brixiensis acturus de Eucharistia: [a] *Modò,* inquit, *ea solùm de ipsa lectione carpenda sunt, quæ præsentibus Catechumenis explanari non possunt, & necessario tamen sunt aperienda Neophytis.* Ideoq;, quando Ethnici primis Christianis opprobrabant, eos Sacramentum suũ [b] infanticidio, aut, vt inquit Minutius Felix [c] infante farre contecto, quem occidebãt comedabantq;, conficere, vociferatur Tertullianus; [d] *A quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis nõ vtiq;, cùm vel ex forma omnib. mysterijs silentij fides debeatur, &c. Et vnde extraneis notitia; cùm semper etiã impiæ initiationes arceant profanos?* Et quando Maximus Madaurensis Ethnicus ex D. Augustino quærit: [e] *Quis est iste Deus, quem vobis Christiani, quasi proprium vindicatis, & in locis abditis præsentem vos videre componitis?* S. Augustinus ad reliqua omnia istius epistolæ capita respondet, & hoc vnicum silentio præterit: Et quando ipsemet Iulianus

[a] *Gaudent. Episc. Brix. tract. 2. in Exod.*

[b] *Tertull. in Apolog. De sacramento infanticidij & pabulo.*

[c] *Minut. Felix in Octa. Infans farre contecto.*

[d] *Tertul. ib.*

[e] *August. Epist. 43.*

Apoſtata Chriſtianos inuadit, non agens de Sacramento Euchariſtiæ, quod erat myſterium myſteriorum: ſed de ſimplici Sacramentò Baptiſmi; S. Cyrillus propoſitum eludit, atque ab intimis iſtius quæſtionis patefaciendis abſtinet; [a] *Vt non*, inquit, *in aures eorum, qui non ſunt initiati, occulta proferam.*

[a] *Cyrillus Alex. contr. Iulian. l. 7.*

Quis igitur nunc non iudicet, potuiſſe Iulianum Apoſtatam audacter Chriſtianis imponere, quod non ſacrificarent, hoc præſertim ſenſu, quo & ipſe, & Iudæi, & Gentiles hoc, *ſacrificandi*, verbo vulgò vtebantur, id eſt, cum cæde & exuſtione hoſtiarũ; ſic, vt non vereretur, ne vel Ethnici impoſturam ipſius animaduerterent, vel Chriſtiani ſua myſteria, àd illum publicè conuincendum, propalare auderẽt? Cùm tamen illis falsò obijcere non poſſet, ipſos crucis effigies adorare, quin palàm, & vel ipſis Ethnicorum oculis teſtibus mendacij coargueretur?

Verùm, vultne Dominus du Pleſ-

ſis ſeriò cognoſcere, num ętate S. Cyrilli ſacrificauerint Chriſtiani, necne? Legat, non libros, quos ille contra Iulianum Apoſtatam compoſuit, in quibus, vt ſcriptis Ethnicorum manibus terendis, nō aliter ad obiectionem ſacrificij reſpondere poterat, quàm aut nudo ſilentio, aut euaſionibus digreſſionibusq; allegoricis: Sed oracula illa & Decreta legat, quæ ille vniuerſalis Eccleſiæ nomine, in magno Concilio œcumenico Epheſino pronunciauit: vbi, ſi vnquam vſpiam, loqui propriè, & abſq; allegoria oportebat; & hæc ibi verba diſertè expreſſa inueniet: τὴν ἁγίαν καὶ ζωοποιὸν καὶ ἀναίμακτον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τελοῦμεν θυσίαν, οὐχ ἑνός τῶν καθ' ἡμᾶς καὶ ἀνθρώπου κοινοῦ σῶμα, πιστεύοντες εἶναι τὸ προκείμενον, ὁμοίως δὲ καὶ τὸ τίμιον αἷμα: δεχόμενοι δὲ μᾶλλον ὡς ἴδιον σῶμα γεγονὸς καὶ μέντοι καὶ αἷμα παντα ζωοποιοῦντος λόγου. a *Sanctum ac viuificum incruentumq; in Eccleſijs celebramus ſacrificium, non hominis alicuius nobis ſimilis & communis corpus; conſimiliter & pretioſum ſanguinem eſſe, quod proponitur,*

a *Cyrill. in Conc. Epheſ. declarat. anath. 11.*

ponitur, credentes; sed magis tanquam proprium viuificantis verbi corpus & sanguinem accipimus. Rursus, vultne Dominus du Plessis cognoscere, num tempore Iuliani Apostatæ sacrificauerint Christiani, nécne? Legat non scripta Juliani Apostatæ aduersus Christianos, in quibus ille de sacrificio loquebatur suo modo: Sed scripta D. Gregorij Nazianzeni contra illum, statim post illius mortem edita, & Christianis, ob mutuam congratulationem, destinata: & hęc ipsa illic verba reperiet: καὶ τὰς χεῖρας ἀφαγνίζεται, τῆς ἀναιμάκτου θυσίας ἀποκαθαίρων δι᾽ ἧς ἡμεῖς Χριστῷ κοινωνοῦμεν, καὶ παθημάτων, καὶ τῆς θεότητος. [a] *Sanguine nequaquam sacro manus commaculauit, vt ab incruento sacrificio, per quod nos Christo vnimur, nec non passionis ac diuinitatis eius participes reddimur, eas ablueret:* Et iterùm: οὐκ ἔτι μιανοῦσιν αἵματι μιαρῷ τὰ τῆς καθαρωτάτης καὶ ἀναιμάκτου θυσίας ἐπώνυμα θυσιαστήρια. [b] *Non amplius sanguine detestando, purissimi ac incruenti sacrificij purissima inquinabunt altaria:* sic vocat sanguinem

[a] *Greg. Nazian. in Iulian. orat.* 1.

[b] *Idem orat.* 2. *in Iulian.*

sacri-

ſacrificiorum Gentiliũ, quem Iulianus Apoſtata in Chriſtianorum altaribus immolari iuſſerat. Denique, vultne Dominus du Pleſſis cognoſcere, num à ſæculo Apoſtolorum, vſque ad illud quo S. Cyrillus vixit, Eccleſia Catholica ſemper Euchariſtiam ſub titulo ſacrificij & oblationis, imò ſacrificij propitiatorij per applicationem illius, quod in cruce Deo pro viuis & defunctis oblatum eſt, celebrauerit? hanc conſequentiam deinceps veluti nubem teſtium legat.

S. Ignatius ab ipſiſmet Apoſtolis anno à Chriſti morte trigeſimo octauo, id eſt, abhinc mille quingentis & triginta propè annis Antiochię creatus Epiſcopus, & à Theodoreto abhinc propè mille & ducentis annis citatus: εὐχαριστίας καὶ προσφορὰς οὐκ ἀποδέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἰησοῦ Χριστοῦ. [a] *Euchariſtias*, inquit de certis Hæreticis loquens, *& oblationes nõ admittunt, quòd non confiteantur Euchariſtiã eſſe carnem Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti.*

[a] *Ignatius apud Theod. dial. 3.*

Iuſtinus

Juſtinus Martyr Chriſtianus factus circiter annum à morte Chriſti nonageſimum, id eſt, abhinc propè mille & quingentis annis; *περὶ δὲ τῶν ἐν παντὶ τόπῳ ὑφ' ἡμῶν τῶν ἐθνῶν προσφερομένων αὐτῷ θυσιῶν, τοῦτ' ἔστι τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου ὁμοίως τῆς εὐχαριστίας, προλέγει τότε εἰπὼν καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ δοξάζειν ἡμᾶς.* [a] *Itaq; omnia quæ ſuo nomine facienda IESVS Chriſtus tradidit, id eſt, in Euchariſtia panis & poculi, quæ in omni loco à Chriſtianis fiunt, præoccupatione vſus Deus, ſibi grata eſſe teſtatur.*

[a] *Iuſtinus Mart. contra Tryph.*

S. Irenæus, abhinc mille quadringentos & triginta annos: [b] *Eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens, Hoc eſt corpus meum: Et calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecũdum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui Teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo.*

[b] *Irenaus l.4.c.32.*

Tertullianus in libro de Oratione, quem etiam tum Catholicus ſcripſit annos abhinc amplius mille & quadringentos; [c] *Nonne ſolennior erit ſtatio tua,*

[c] *Tertul. lib. de orat. c.14*

tua, si & ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini & reseruato, vtrumque saluum est, & participatio sacrificij, & executio officij. Et in libro de Corona Militis, vniuersales & ab ipsa origine Christianorum consuetudines referens: [a] *Oblationes pro defunctis, pro natalitijs,* (ita festos Martyrũ dies appellabant) *annua die facimus.*

[a] *Idem de coron. militis cap. 3.*

S. Cyprianus in epistola ad Cæcilium, abhinc mille trecentos & quinquaginta annos conscripta: [b] *Christus sacrificium Deo patri obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & saguinẽ.* Et iterùm: [c] *Sacerdos &c. sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.* Et in Epistola ad Ecclesiam Furnensem: *Quod* [d] *Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam, vel curam Clericum nominaret: ac, si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur:*

[b] *Cyprian. epist. 63. ad Cæcil.*

[c] *Idem inf.*

[d] *Idẽ epist. 66. ad Clerum et Plebem Furn.*

tur: neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & Ministros voluit auocare.

Concilium Nicænum, anno à morte Christi ducentesimo nonagesimo tertio. αἱ δὲ σύνοδοι γινέσθωσαν, μία μὲν πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς, ἵνα πάσης μικροψυχίας αἰαιρουμένης, τὸ δῶρον καθαρὸν προσφέρηται τῷ θεῷ.[a] *Concilia verò celebrentur, vnum quidem ante Quadragesimam Paschæ, vt omni dissensione sublata, munus offeratur Deo purissimum, &c.* Et iterùm: ὥσπερ οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκεν, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. [b] *Illud nec regula nec consuetudo tradidit, vt ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant.* Eusebius eiusdem temporis scriptor, historiam Concilij Hierosolymitani sub Constantino Magno describens; οἱ δὲ &c. θυσίαις ἀναίμοις καὶ μυστικαῖς ἱερουργίαις τὸ θεῖον ἱλάσκοντο.[c] *Alÿ*, inquit, *precibus & disputationibus celebritatem ornabant, &c. Alÿ*, adiungit, *incruentis sacrificÿs, & mysticis consecrationibus*

[a] Conc. Nic. 1. Can. 5.

[b] Can. 18.

[c] Euseb. in vit. Const. lib. 4.

nibus diuinum numen placabant. S. Cyrillus Hierosolymitanus, año à Christi morte trecentesimo decimo? *παρακαλοῦμεν τὸν φιλάνθρωπον θεὸν τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐξαποστεῖλαι ἐπὶ τὰ προκείμενα, ἵνα ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον, σῶμα Χριστοῦ, τὸν δὲ οἶνον αἷμα Χριστοῦ. πάντως γὰρ οὗ ἐὰν ἐφάψαιτο τὸ ἅγιον πνεῦμα, τοῦτο ἡγίασται καὶ μεταβέβληται. εἶτα μετὰ τὸ ἀπαρτισθῆναι τὴν πνευματικὴν θυσίαν, τὴν ἀναίμακτον λατρείαν, ἐπὶ τῆς θυσίας τοῦ ἱλασμοῦ παρακαλοῦμεν τὸν θεὸν ὑπὲρ κοινῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης.* Et paulo pòst. *δεόμεθά σου πάντες ἡμεῖν, καὶ ταύτην προσφέρομέν σοι τὴν θυσίαν, ἵνα μνημονεύωμεν καὶ τῶν προκεκοιμημένων πρῶτον, πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, μαρτύρων. ὅπως ὁ Θεὸς εὐχαῖς αὐτῶν, καὶ πρεσβείαις προσδέξηται ἡμῶν τὴν δέησιν. εἶτα καὶ ὑπὲρ τῶν προκεκοιμημένων ἁγίων πατέρων, καὶ ἐπισκόπων, καὶ πάντων ἁπλῶς τῶν ἐν ἡμῖν προκεκοιμημένων, μεγίστην ὄνησιν πιστεύοντες, ἔσεσθαι ταῖς ψυχαῖς ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται τῆς ἁγίας καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας.* Et infrà. *ὑπὲρ κεκοιμημένων, &c. Χριστὸν ἐσφαγιασμένον, ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων*

των προσφερομένων, ἐξιλεούμενοι ὑπὲρ αὐτῶν καὶ ἡμῶν τὸν φιλάνθρωπον. [a] *Deum benignissimum oramus, vt super illa proposita, sanctum Spiritum emittat, vt panem quidem faciat corpus Christi, vinum verò sanguinem Christi. Omnino enim, quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur & commutatur. Deinde verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace.* Et iterùm: *Cùm hoc sacrificium offerimus, pòstea facimus mētionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt. Primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis patribus & Episcopis. denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij.* Et paullo post: *Nos pro defunctis &c. Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis & illis eum,*

[a] *Cyril. Hieros. catech. mystag. 5.*

qui est benignissimus, propitium reddamus.
S. Epiphanius, in Epistola ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, eiusdem S. Cyrilli successorem, quam Diuus Hieronymus Latinè reddidit: [a] *Cum vidissem, quia multitudo sanctorum Fratrum in monasterio consisteret, & S. Presbyteri Hieronymus & Vincentius ppter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia, & laborare in hac parte ministerij, quæ Christianorum præcipua salus est.* Nota illud, *præcipua salus Christianorum.*

[a] *Epiphan. epist. ad Ioan. Episcop. Hieroso. inter Hieron. Epist. 60.*

S. Gregorius Nyssenus, abhinc annos mille & triginta: [b] *Pro ineffabili arcanoq́, & qui ab hominibus cerni nequit, sacrificij modo, sua dispositione & administratione præoccupat impetum violentum, ac sese oblationem ac victimam offert pro nobis sacerdos simul & agnus Dei. Quando hoc accidit? Cum suum corpus ad comedendum, & sanguinem suum familiaribus ad bibendum præbuit.*

[b] *Greg. Ep. Nyss orat 1. de resurre. Christi.*

S. Gregorius Naziãzenus, eodem tempore: ταῦτα οὖν εἰδὼς ἐγὼ, καὶ ὅτι μηδεὶς ἄξιος τοῦ μεγάλου καὶ θεοῦ καὶ θύματος

καὶ

καὶ ἀρχιερέως, ὅστις μὴ πρότερον ἑαυτὸν παρέστησε τῷ θεῷ θυσίαν ζῶσαν ἁγίαν, μηδὲ τὴν λογικὴν λατρείαν εὐάρεστον ἀπεδείξατο. μηδὲ ἔθυσε τῷ θεῷ θυσίαν αἰνέσεως καὶ πνεῦμα συντετριμμένον, ἣν μόνην ὁ πάντα δοὺς ἀπαιτεῖ παρ' ἡμῶν θυσίαν, πῶς ἔμελλον θαῤῥῆσαι προσφέρειν αὐτῷ τὴν ἔξωθεν, τὴν τῶν μεγάλων μυστηρίων ἀντίτυπον; a *Cùm hæc ego scirem, & quod nemo amplissimo tam sacerdotio quàm Deo dignus sit, qui non prius semetipsum Deo sacrificium viuum & sanctum obtulit, nec rationalem cultum Deo acceptum exhibuit, nec Deo sacrificium laudis & spiritum contritum immolauit, quod sacrificij genus tantum is à nobis requirit,* (nempe ex eo quod nos ei ex nostro offerre possumus) *qui omnia largitur, quomodo ausus fuissem externum illi sacrificium offerre,* (Nota, EXTERNVM SACRIFICIVM) *quod magnorum est mysteriorum exemplar?*

a *Greg. Nazianzen. in Apologet.*

S. Ambrosius, abhinc mille ducentos & viginti annos: b *Ego mansi in munere, Missam facere cœpi. Dum offero, raptum cognoui à populo Castulum quendam, quem Presbyterum dicerent Ariani:*

b *Ambros. epist. 33.*

Hunc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissimè flere, & orare in ipsa oblatione Deum cœpi, vt subueniret, nec huius sanguis in caussa Ecclesiæ fieret. Et in Commentario in psalmum trigesimum octauum. [a] *Vidimus principē Sacerdotum ad nos venientem, vidimus & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum; sequamur, vt possumus, sacerdotes, vt offeramus ꝑ populo sacrificiū: Etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio: quia, etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur. Imò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.* Et in libro 4. de Sacramentis, verba referens, quibus in altaris sacrificio Sacerdos vtebatur: [b] *Offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ.*

S. Optatus Mileuitanus, contra Donatistas, qui Catholicorum altaria demoliti erant, eodem tempore disputans: [c] *Quid vos offenderat Christus,*

[a] Idem in psal. 38.

[b] Idem l. 4. de Sacram. cap. 6.

[c] Optat. Mileuit. Episc. lib. 6.

ſtus, cuius illic per certa momenta corpus, & ſanguis habitabat? Quid vos offendiſtis etiam vos ipſi, vt illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum ſpatia, ſanctè, vt arbitrabamini, obtuliſtis?

S. Hieronymus in commentarijs in epiſtolam ad Titum, quos abhinc mille ducentos decemq; annos conſcripſit: a *Si Laicis imperatur, vt propter orationem abſtineant ſe ab vxorum coitu: quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis populiq; peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas?* Et paullo pòſt: *Tantum intereſt inter propoſitionis panes & corpus Chriſti, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa, quæ per exemplaria præfigurabantur.* Et in Epiſtola ſecunda aduerſus Vigilantiũ: *Malè* [b] *facit ergo Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri, et Pauli, ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum te vilem puluiſculum, offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitratur altaria?* Et in libro tertio contra Pelagianos: [c] *Sic docuit Apoſtolos ſuos, vt*

[a] *Hieron. in cap. 1 ep. ad Titum.*

[b] *Idem aduer. Vigil. epiſt. 2.*

[c] *Idem lib. 3 aduerſus Pelag.*

quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui, Pater noster, qui es in cælis.

S. Chrysostomus in Commentarijs in priorem Corinthiacā, scriptis abhinc mille & ducentis annis: τὴν ἱερουργίαν κατεσκεύασε, καὶ τὴν θυσίαν αὐτὴν ἀμείψας, καὶ ἀντὶ τῆς ἀλόγων σφαγῆς ἑαυτὸν προσφέρειν κελεύσας. [a] *Sacrificium præparauit, & cùm sacrificiū ipsum commutaret, & pro brutorum cæde seipsum offerendū præciperet.* Itemq; in libro sexto de sacerdotio: ὅταν δὲ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καλῇ, καὶ τὴν φρικωδεστάτην ἐπιτελῇ θυσίαν καὶ τῷ κοινῷ πάντων συνεχῶς ἐφάπτηται δεσπότῃ: ποῦ τάξομεν αὐτόν, εἰπέ μοι; [b] *Cùm autem ille & spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumq; illud horrore ac reuerentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manib. assiduè pertractato: quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus?* Itemq; in homilia 21. in Acta: οὐχ ἁπλῶς ὁ διάκονος βοᾷ, ὑπὲρ τῶν ἐν Χριστῷ κεκοιμημένων καὶ τῶν τὰς μνείας ὑπὲρ αὐτῶν ἐπιτελούντων, οὐχ ὁ διάκονός ἐστιν ὁ ταύτην ἀφιεὶς τὴν φωνήν: ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ χά-

[a] Chrys. in 1. Cor. ho. 24.

[b] Idem l. 6. de sacerd.

τὸ χάϱισμα λέγω. τί λέγεις; ἐν χερσὶν ἡ θυσία. καὶ πάντα πρόκειται ἠυτρεπισμένα, πάρεισιν ἄγγελοι, ἀρχάγγελοι, πάρεστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. *Non simpliciter minister clamat, PRO HIS QVI DEFVNCTI SVNT IN CHRISTO, ET PRO HIS QVI ILLORVM MEMORIAM FACIVNT. Non diaconus est, qui talem illam vocem emittit, sed spiritus sanctus, donum, inquam. Quid dicis? In manibus est hostia, & omnia proposita suut bene ordinata, adsunt Angeli, adsunt Archangeli, adest Filius Dei.* Itemq; in homilia tertia in epistolam ad Philippenses: οὐκ εἰκῇ ταῦτα ἐνομοθετήθη ὑπὸ τῶν ἀποστόλων, τὸ ἐπὶ τῶν φρικτῶν μυστηρίων μνήμην γίνεσθαι τῶν ἀπελθόντων. ἴσασιν αὐτοῖς πολὺ κέρδος γινόμενον, πολλὴν τὴν ὠφέλειαν. ὅταν γὰρ ἑστήκει λαὸς ὁλόκληρος χεῖρας ἀνατείνοντες, πλήρωμα ἱερατικὸν, καὶ πρόκειται ἡ φρικτὴ θυσία, πῶς οὐ δυσωπήσομεν ὑπὲρ τούτων τὸν θεὸν παρακαλοῦντες; *Non frustra ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Noueru:it illis multum hinc emolu-*

menti fieri, multum vtilitatis. Stante ſiquidem vniuerſo populo, manus in cælum extendente, cœtu item ſacerdotali, verendoq́ poſito ſacrificio; quomodo Deum non placaremus pro iſtis orantes? S. Auguſtinus ætate D. Chryſoſtomo par, ſuppar D. Cyrillo, in libro de origine animæ: *Salua [a] fide Catholica & Eccleſiaſtica regula, nulla ratione conceditur, vt pro non baptizatis cuiuslibet ætatis hominibus offeratur ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti.* Et in nono libro Confeſſionum: [b] *Cùm offerretur pro ea ſacrificium precij noſtri, iam iuxta ſepulchrum poſito cadauere, priùs quàm deponeretur, ſicut illic fieri ſolet.* Et in Catalogo Hæreſeon: [c] *Aëriani ab Aërio quodam ſunt nominati, qui cùm eſſet Presbyter, doluiſſe fertur, quod Epiſcopus non potuit ordinari, & in Arianorum hæreſin lapſus, propria quoque dogmata addidiſſe non nulla, dicens orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere.* Et in libro vigeſimo contra Fauſtum: *Nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum, conſtituimus altaria. Quis enim Antiſtitum in*

[a] *Aug. lib. 1. de anima et eius orig.*

[b] *Idem l. 9. Confeſſ.*

[c] *Idem libr. de hæreſib.*

Idem lib. 20. contra Fauſtum c. 21.

locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit, offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit. Et paullo pòst: *Sacrificare Martyribus dixi, non dixi sacrificare Deo in memorijs Martyrum, quod frequentissimè facimus, illo duntaxat ritu, quo sibi sacrificari noui Testamenti manifestatione præcepit.* Et in decimo Ciuitatis Dei: *Ipse offerens, ipse & oblatio: Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium.* Et in septimo decimo: *Id sacrificium successit omnibus illis sacrificijs veteris Testamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri, propter quod etiam vocem illam in psalmo tricesimo & nono eiusdem mediatoris Prophetam loquentis agnoscimus: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi. Quia pro illis omnibus sacrificijs & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur.* Et in decimo octauo: *Hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cùm in omni loco à Solis ortu vsque ad occasum Deo iam videamus offerri: sacrificium*

Idem l. 10. de ciuitat. Dei cap. 20.

Et libr. 17. cap. 29.

Et libr. 18. cap. 35.

cium autem Iudæorum, quibus dictum est; Non mihi voluntas in vobis, nec accipiã de manibus vestris munus, cessasse negare non possunt: quid adhuc expectant alium Christum? Et in vicesimo secundo, de loco malis dæmonibus in festo loquens: *Perrexit vnus Presbyter, obtulit ibi sacrificium corporis Christi.* Et de verbis Apostoli ad Thessalonicenses: *Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditũ vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis, qui in corporis & sanguinis Christi cõmunione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.*

Et libr. 22. cap. 8.

Idē de Verb. Apostol. sermon. 38.

S. Fulgentius, sæculi D. Cyrilli sigillum atque claustrum, contra Arianos disputans, qui ex eo, quòd Christo IESV Ecclesiæ sacrificium non offerretur, in cuius oblatione supremus cultus consistit, eum non esse

Deum

Deum argumentabantur: *Dicis, à nonnullis te interrogatum de sacrificio corporis & sanguinis Christi, quod plerique soli Patri existimant immolari. Hanc etiam asseris Hæreticorum esse quasi palmarem interrogationem.* Et infrà: *Cùm ad Patrem Litantis destinatur intentio, sacrificij munus omni Trinitati vno eodemq́; offertur Litantis officio.* Verùm de hoc auctario satis: Ad sortem redeamus.

Fulg. ad Monim. lib. 1.

Cùm articuli septimi disputationem agitat, de Concilio Elibertino, (quod in Narratione Colloquij citat in legem Theodosij & Valentiniani quæ de cruce agit, pro eo, quòd illud in ipso cogressu in locum Theodoreti aduersus Idola citauerit,) loqui aggreditur; Agobardum allegat, qui est (inquit) Scriptor, qui in Bibliotheca S. Victoris reperitur, aliter exponere Concilium Elibertinum, quàm tunc Episcopus Ebroicensis exposuerit. Quasi Agobardus, qui in sæculo scribebat antiquitatis ignorantia bardo, ob longa Barbarorũ diluuia, qui toto Occidente inundauerat; & qui annis

quingentis, quingentisq; milliarijs à tempore & loco aberat, quibus Concilium Elibertinum habitum fuerat: (viuebat enim ſub Rege Ludouico Pio, & quòd contra eum conſpirationis particeps fuerat, de Epiſcopatu ſuo depoſitus eſt:) quique pręterea quadantenus Pars & Aduerſarius in hac cauſſa erat: quippe ex ijs vnus, qui Decreto ſecundi Concilij Nicæni de Adoratione, id eſt, veneratione Imaginum obluctabantur; de intentione Concilij Elibertini in Hiſpania habiti certiùs edoctus eſſe debuerit, quàm ipſe Prudentius Hiſpanus, & quàm S. Paulinus, Nolanus Epiſcopus, qui multo tempore verſatus, imò ſacerdos cõſecratus in Hiſpania fuerat: qui ambo eiuſdem Concilij Elibertini ſæculo viuebãt, oĩm Chriſtianorum ſæculorum eruditiſſimo; & [a] vſum Imaginum in Templis collocationemq; celebrabant. Nam quoad iſtam quæſtionem indefinitam; Vtrum Imagines in Templis retinendæ ſint, necne; quid momenti habere poteſt

[a] *Vide Acta Colloquij pag. 180.*

poteſt Agobardi opinio qualiſqualis ea hac de re fuerit, contra id, quod non dicam Sanctus Gregorius Nyſſenus de Chriſtianorum templis, ante Agobardum quadringentis & quinquaginta annis ſcribebat: [a] *Solet pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodeſſe:* Non dicam quod S. Gregorius Turonenſis ante Agobardum amplius ducentis annis, æque Gallus ac ipſe Agobardus, ſcribebat: [b] *Tanto Chriſtus amore diligitur, vt cuius legem in tabulis cordis credentes populi retinent, eius etiam Imaginem ad commemorationẽ virtutis in tabulis viſibilibus pictam, per Eccleſias ac domos adfigant:* Non dicam quod Damaſcenus centum annis ante Agobardum ſcribebat; ὁ ναὸς, ὃν ὁ Σολομὼν ᾠκοδόμησεν ἀλόγων αἵμασιν ἐνεκαινίσθη καὶ ἀλόγων εἰκόσιν ἐκαλλωπίσθη, λεόντων, καὶ βόων, καὶ φοινίκων, καὶ ῥοίσκων. Νυνὶ δὲ Χριστοῦ αἵματι ἡ ἐκκλησία ἐγκαινίζεται, καὶ τῶν ἁγίων αὐτοῦ, καὶ τῇ Χριστοῦ εἰκόνι καὶ τῶν ἁγίων αὐτοῦ καλλωπίζεται. [c] *Templum quod Salomon ædificauit, animalium ſanguine dedicatum eſt, & animalium, nempe Leonum,*

[a] Greg. Nyſſ. in orat. B Theod. Imp. Baſil.

[b] Greg. Turon. libr. 1. Mirac. c. 22.

[c] Damaſc. de Imagin. libr. 2.

num, & boum & palmarum, & malorum Punicorum imaginibus exornatū. Nunc aūt Ecclesia dedicatur ſanguine Chriſti, & Sanctorum eius; & Chriſti, & Sanctorum eius imaginibus decoratur. Non dicam, quod ſecundum Concilium vniuerſale Nicænum quinquaginta ante Agobardum annis pronunciauerat: ἡμεῖς τοὺς θεσμοὺς τῶν πατέρων φυλάττομεν. ἡμεῖς τοὺς προστιθέντας τι ἢ ἀφαιροῦντας ἐκ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἀναθεματίζομεν, &c. ἡμεῖς τὰς σεπτὰς εἰκόνας ἀσπαζόμεθα, ἡμεῖς τοὺς μὴ οὕτως ἔχοντας τῷ ἀναθέματι καθυποβάλλομεν. [a] *Nos decreta Patrum cuſtodimus. nos adiicientes aliquid aut auferentes Eccleſiæ anathematizamus. Nos venerandas Imagines ſuſcipimus. nos qui ſecus faxint, anathemate percellimus:* Sed dicam, vt & in patria & in ſæculo Agobardi maneamus, contra id, quod totius Eccleſiæ Gallicanæ, ipſius tempore, corpus decreuit, cùm execrationem & anathema in eos publicè fulminaret, qui è Templis Imagines tollebāt? Tametſi enim Gallorum nonnulli tunc temporis Decreto ſecundi Cō-

[a] Conc. Nic. 2. Act. 7.

cilij

cilij Nicæni de Imaginum adoratione oppoſuêre ſe ſe; quòd nouæ iſtius Hæreticorum ſectæ, qui Iconoclaſtæ id eſt, Imaginum confractores appellabantur, fraude & impoſtura, de ſenſu, quo Patres Concilij vocem, *Adorationis*, vſurpaſſent, malè edocti fuiſſent; hi tamen, non ſecus ac illi, pro Imaginibus conſeruandis ac protegendis contra Iconoclaſtas decertabant. Rem ita ſe habere, teſtimonio eſt, quod Ionas Epiſcopus Aurelianenſis Agobardi æqualis, Ludouici Pij iuſſu, Claudij Taurinenſis Ariani & Iconoclaſtæ ſcriptum aduerſus Imagines confutauit. Et quòd Valafridus Strabo eiuſdem Agobardi ſæculi, & nimio quã Agobard⁹ celebris & notus Auctor, Iconoclaſtarum litẽ è Græcia in Galliam allatam *ſcriptis Synodicis confutatam fuiſſe* ſcribit. Hoc vno inter ſe diſcrepabant, quòd Galli adorationem Imaginũ reijcerent, eo quòd impoſturâ & execrando Iconoclaſtarum mendacio, qui adulterina Concilij Nicæni acta in Occidente ſparſe-

Ion. Aurel. de cultu Imag. l. in præfat.

Valafridus Strab. libr. de reb. Eccleſ. c. 8.

ſparſerant, ijs ſuggeſtum fuerat, Patres Concilij de adoratione diuina atque Latria intellexiſſe, decreuiſſeque vt eâdem, qua Trinitas, adoratione Imagines adorarentur: cùm illi è contrario paſſim totis actis Concilij proteſtati eſſent: *καὶ ταύταις ἀσπασμὸν καὶ τιμητικὴν προσκύνησιν ἀπονέμειν· οὐ μὴν τὴν κατὰ πίστιν ἡμῶν ἀληθινὴν λατρείαν, ἣ πρέπει μόνῃ τῇ θείᾳ φύσει*, & alibi paſſim. a *Se loqui tantummodo de ſalutatione & honoraria adoratione, quam nos venerationem dicimus, non de vera latria, quæ ſolùm diuinæ naturæ competit.* Ideoque Galli exiſtimantes eos nomine, *Adorationis*, abuti, & genus pro eminentiore ſpecie vſurpare, huius vocis applicationem ad Imagines condemnabant. At verò ſimplicem reuerentiæ honorem, quem nos venerationem appellamus: qua voce etiam Concilium Tridentinum vtitur, ne eos offendat, q diuerſum vſum verbi, *Adorare*, ignorãt; ijs minimè denegabant. Quin contrà Valafridus Strabo poſtquã hiſtoriam Synodi de Ima-

a *Conc. Nicæ. 2. Act. 7.*

Concil. Trident. ſeſſ. 25.

Imaginibus, ad instantiam Ludouici Pij habitæ exposuisset, declarassetq́; eas non debere adorari; id est, vt ipsemet interpretatur, honoribus Deo debitis, adiungit, *Non sunt omnimodis honesti & moderati Imaginum honores abijciendi*. Et paullo pòst: *Sic Imagines & picturæ habendæ sunt & amandæ, vt nec despectu vtilitas adnulletur, & hæc irreuerentia in ipsorum, quorum similitudines sunt, redundet iniuriam: nec cultu immoderato Fidei sanitas vulneretur.*

Valafridus Strab. Libr. de reb. Eccl. cap. 8.

Cùm disputationem de loco S. Bernardi qui fuit octauus, commouet, nihil dicit, quod nō tùm ex tempore in ipsa Collatione allatum refutatumq́; fuerit, vt in ipsa Actorum historia videre est: Ideoq́; de hoc articulo, Nihil.

Cũ in examen postremi loci ingreditur, qui fuit Theodoreti aduersus Idola, longam adducit seriem auctoritatum, prçter eas quas in collatione citauit; vt hæc tria, *Idolum*, *Simulachrum*, & *Imaginem*, eandem rem significare demonstret. At de nomine,

Dominus du Plessis, edit p. 61.

Simulachri, diſceptatio nõ erat, ſed de nomine *Idoli*. Quamuis enim in verſione Theodoreti, *Simulachrum* habeatur; cuius vocis ambiguo ſe poſſet Dominns du Pleſſis fingere deceptũ: In Theodoreto tamen, qui Græcus fuit, non Latinus, non, *Simulachrum*, ſed *Idolum*, habetur. Quod Dominus du Pleſſis ignorare nõ poterat: Theodoretus enim idem vocabulum ex centeſimi tertij decimi verſu duodecimo, explicat atque repetit, in quem ille citat. At verò Biblia Græca iſto verſu ſic habent; τὰ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν ἀργύριον καὶ χρυσίον. *Idola Gentium argentum & aurum:* Quod æquè Dominus du Pleſſis non neſcire poterat. Nam & in editione Gallica Bibliorum Geneuenſium anni M. D. LXV. in eodem verſiculo eſt, *Sed eorum Idola ſunt aurum & argentum:* & in editione poſtrema anni M. D. LXXXVIII. etiam expreſſiùs, & ad vim vocabuli, *Idoli*, declarandam aptiùs; *Sed eorum falſi Dÿ ſunt aurum & argentũ:* Et in ipſis Maroti Pſalmis; quas Dominus du

Bibl. Græc. Pſalm 113. Bibl. Geneuenſ. anno 1565 pſalm. 113. Mais leurs Idoles ſont or & argent. Bib. Geneu. anno 1588. pſalm. 113. Mais leurs faux Dieux ſont or & argent.

du Plessis quotidie cantat, habetur:

Mais ce qu'adore & sert toute autre gent
Idoles sont faites d'or & d'argent,
Ouurage de main d'homme.

id est,

Sed quod adorat & colit omnis alia gens
Idola sunt facta ex auro & argento
Opus manus hominis.

Ac propterea nihil attinet disputationem reuocare ad vocem, *Simulachra*, quandoquidem Dominus du Plessis ignorare non potuit in Greco haberi, *Idola*. Sed tamen, quid de vtroque vocabulo adferat, videamus. *Idolum*, inquit, *Simulachrum*, & *Imago*, in scriptura nō differunt. Iam, quoad *Idolum*, & *Imaginem*, ipsa inter se aut in scriptura aut in scriptoribus Ecclesiasticis non differre, iam tum ipsi negatum fuit: Et quoad *Simulachrum* & *Imaginem*, eodem modo ipsi negatur, ob eorum peculiarem vsum tum scripturæ tum Auctorum, qui in textus scripturæ repetitione illa vsurpāt, vti facit Theodoreti Interpres. Quāuis enim nomen *Simulachri*, quatenus

Pagin. eo.

 à *Simi-*

à *Similitudine* deriuatur, idem, quod *Imago*, ſignificet: quatenus tamen Auctores Eccleſiaſtici à *Simulatione* deducunt, connotat ſemper falſitatem aliquam, & Imagines falſorum Deorum ſignificat, non ſimplices Imagines. Dixi, quatenus à *Simulatione* deducunt, eo quòd Theologi duplicem huic voci originationem tribuant, alteram à nomine *Simulationis* deductã, alterã à nomine *Similitudinis*. Id quod S. Auguſtinus libro vigeſimo contra Fauſtum tangit, cum ait Chriſtũ Manichæorum non malè ſimulachrum vocari poſſe, *quippe nõ à ſimilitudine, ſed à ſimulatione*. Non enim hic de latina huius Horatiani verſus elegantia agitur; *Scis ſimulare cupreſſum*: Sed de ſtyli Eccleſiaſtici ſimplicitate, qui ſimulare, pro *fingere* vſurpat. Et S. Hieronymus in Eſaiam: [a] *Dogmata falſitatis Idola nominantur ab eo, quod ſimulata ſint atque conficta*. Et in Oſee: [b] *Operati ſunt mendacium, hoc eſt, Idolum. Sicut enim contrarium eſt ſimulachrum Deo, ita mendacium veritati*. Et Iſidorus:

Auguſtin. lib. 2. contr. Fauſt. c. 25.

[a] *Hieronym. in Eſa. c. 2.*

[b] *Idem in Oſee. c. 7.*

Ergo

Ergo [a] *simulachra, vel pro eo, quod sunt similia, vel pro eo, quod simulata atque conficta, unde & falsa sunt.* Et ipsamet adulterina Synodus Parisiensis, quam toties Dominus du Plessis allegat: [b] *Aliud est Imago; aliud simulachrum.* Atqui verò protestantur Catholici, & Cardinalis Bellarminus [c] peculiarem ea de re articulum conficit, Latinam Bibliorum editionem vti semper voce, *Simulachrum*, iuxta posteriorem etymologiam; nempe, ad falsam aliquam & simulatam repræsentationem denotandam: aut si adhibeat, quatenus à similitudine deriuatur non vsurpare illam, secũdum totam originis ipsius latitudinem, sed restringere illam κατ' ἐξοχὴν, ad primariam similitudinis speciem, nimirum, ad similitudinem formarum imaginariarum Diuinitatis: & consequenter falsi quippiam præsupponere semper atq; includere. Tametsi enim simulachra corporeas quasdam figuras verè repræsentent; hæ tamen corporeæ figuræ falsò Diuinitatem repræsentãt.

[a] Isid orig. libr 8.

[b] Syno. Par. in vers. Stepha. Bostr.

[c] Cont. 7. l. 2. cap. 5.

[a] Habac. c. 2. *Sculpsit* [a] *illud fictor suus*, inquit Habacuc, *conflatile, & imaginem falsam, sperauit in figmento fictor eius, vt faceret simulachra muta*. Et S. Hieronymus in eundem locum: [b] *Omnibus simulachris assident immundi spiritus*. Id quod ad veras simplicesq; similitudines extendi nō potest. Ideoque contendunt Catholici, quamuis alij scriptores ista voce confusiùs vtantur, eam tamen neq; in Latino Scripturæ textu vnquam, neque in Auctoribus, qui inde eam repetunt, nisi in malam partem, & ad Imagines falsorum Deorum significandas adhiberi. Ad hoc igitur Dominus du Plessis quid agit? E scriptura tria loca producit, vnum ex Isaiæ capite quadragesimo, vbi pro eo, ꝙ in editione Græca *Imaginem* significat, Latina habet, *Simulachrum*. Alterum, ex secundi Paralipomenon capite trigesimo tertio: vbi textus Hebraicus legit, *Semel*, id est, *Imago*; Latinus verò vertit, *Simulachrum*: Tertium, è primo capite Epistolæ ad Romanos, vbi quod S. Paulus Græcè dicit,

[b] Hieron. ib.

Pagin. 61.

cit, *Imaginem*, non nulli Commentatores Latini interpretantur, *Simulachrum*. Sed quonam istuc totum pertinet, cùm in ijs locis omnibus Scriptura de falsorum Deorum Imaginibus loquatur? Non enim defenditur Imaginem & Simulachrum vt speciē ab alia specie, sed vt genus à sua specie distingui. Hoc est: Non negatur omne Simulachrum esse Imaginem, atque aliquam Imaginem esse simulachrum: sed omnem Imaginem simulachrum esse, id verò est quod negatur; eo quòd nomen, *Simulachrum*, (loquor stylo scripturæ accommodatè) superaddat semper nomini, *Imaginis*, falsitatis notam, falsorumque Deorum Imagines significet. Quò pertinet igitur nunc allegare, quibusdam in scripturæ locis *Imaginem*, &, *Simulachrum* pro eodem accipi, cùm id non fiat nisi vbi scriptura de falsorum Deorum Imaginibus loquitur; & cum hac additione, aut expressa, aut ita suppressa, vt facilè intelligatur, hoc videlicet, *Falsorum*

Deorum Imagines? Mille loca ſunt in ſcriptura, in quibus homo caro appellatur: Hinc ergo mihi licebit inferre, hæc duo, *Hominem*, & *Carnem*, in Scriptura non differre: & conſequenter beſtias ac piſces eſſe homines, eo quòd etiam caro in ſcriptura nominentur. Præclaram Dialecticam! Pueri norunt, vt duæ voces æquipollentes efficiantur, non eſſe ſatis, vt earũ altera in aliqua vna ſignificationum alterius vſurpetur: ſed eſſe neceſſariũ, vt altera alterius ſignificationes omnes complectatur. Atqui verò nomen *Imaginis* & in bonam & in malam partem in ſcriptura adhibetur: Nam & effigies Cherubinorum, Leonum, Boum, Palmarum, aliorumq; Templi ornamentorum, ſimilitudines appellantur, id eſt, Imagines: & homo Jmago Dei dicitur: & Chriſtus Jesvs, Imago Dei inuiſibilis nominatur. Quo pacto igitur Domino du Pleſſis ſatis erit, ad oſtendẽdum inter *Imaginem*, & *Simulachrum* nullum intercedere diſcrimẽ in ſcriptura.

ptura, aliquot exempla proferre, in quibus *Simulachrum* pro *Imagine* adhibeatur, cùm id ſolùm fiat in ijs locis, vbi nomen *Imaginis* in malam partem accipitur, & cum hac limitatione aut expreſſa, aut ex ſe manifeſta, *Imagines falſorum Deorum?* Contrà verò, quemadmodum non ſatis fuerit illi reſpondere: *Imago* in ſcriptura & in bonam & in malam partem ſumitur: *Simulachrum* in ſcriptura nunquam niſi in malam partem ſumitur: *Imago* igitur, & *Simulachrum* in ſcriptura non indifferenter vſurpantur? Deſcendamus ad Patres.

Dominus Pleſſ. in 3. edit. p. 61.

Iuſtinus Martyr, inquit, *in prohibitione Decalogi, vbi ſeptuaginta verterant Idolum, Imaginem ponit.* Ita habet, ſed tantum abeſt, vt hoc ſit Idolum & Imaginem confundere, vt id fiat ad cauendum ne confundantur. Cum enim Iudæis, contra quos diſputabat, vellet oſtendere, videri eſſe quandam repugnantiam & antinomiam inter Imaginum lege prohibitarum interdictum, & ſerpentem æneum, quem

in deserto Moyses erexit; si in prohibitione vsus fuisset voce *Idoli*, visus fuisset serpentem ęneum sub nomine *Idoli* cōprehendere, sicq; Moysi, quod Idola fecisset, imputasset. Ne igitur Serpentem æneum appellare Idolū videretur, in prohibitione, nomine Imaginis vtitur. Neque tamen hoc sine auctore facit: Vtitur enim hoc nomine *Imaginis*, non quatenus ęquipollet ei quod in cap. vigesimo Exodi habetur, sed illud è textu quarti capitis Deuteronomij expresso accipit, vbi Moyses fusiùs hoc præceptum explicans, nomen *Imaginis*, iuxta Græcam editionem inseruerat. Ac proinde in ijs locis, in quibus solicitus esse non debebat, ne *Idoli* nomen ad Serpentem æneum, qui erat vera IESV Christi Imago symbolica, non autem Idolum, cautè abstinet, ne nomine *Imaginis* pro nomine *Idoli* abutatur: vt, inter cetera, in eo ipso Psalmi centesimi decimi tertij versiculo, quem ille nō modo voce, *Idola*, vtens, sed etiam, cum vera eiusdem vocis

ener-

energia allegat. Sic enim eum Iudæi personam ſuſtinens citat. Διὰ τοῦ ἁγίου Δαβὶδ εἶπεν, οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν νομιζόμενοι θεοὶ, εἴδωλα δαιμονίων εἰσὶν, ἀλλ' οὐ θεοὶ, καὶ ἐπάγει κατάραν τοῖς ποιοῦσιν αὐτὰ, καὶ τοῖς προσκυνοῦσιν. [a] *Spiritus ſanctus per ſanctum Dauidem dixit, Dÿ Gentium, qui Dÿ habentur, ſimulachra ſunt Dæmoniorum, non Dÿ: execrationemq́ adÿcit ÿs, qui ea & faciunt, & adorant.* Sed, inquiet Dominus du Pleſſis, nihilominus inde conſequitur, id, quod in vigeſimo Exodi nominatum fuerat *Idolum*, in quarto Deuteronomij *Imaginem* appellari. Ecquis dubitat? Quis item dubitat, quin in ipſomet vigeſimi capitis Exodi verſiculo, quo Idola prohibentur, annexa etiam ſit prohibitio ſimilitudinum, id eſt, ſimilitudinum, quæ, vt Idola ſint, fiunt? *Non facies tibi*, inquit Græcus textus, *Idolum aliquod, neque ſimilitudinem, &c.* Cùm enim Imago genus ſit, & Idolum ſpecies, omnia quidem Idola ſunt Imagines, & quædam Imagines ſunt Idola; ſed nō omnes Imagines ſunt Idola,

[a] *Iuſt. Mart. in Tryph.*

ſed illæ tantùm, quæ fiunt aut habentur pro Dijs. Quando igitur hæc differentia, vt fiant aut habeantur pro Dijs, vocabulo *Imaginis* additur, ſiue id fiat explicitè, ſiue manifeſto aliquo intentionis Auctoris indicio; tùm *Imago*, ſic limitata, &, *Idolum* idem ſunt. Iam verò ea differentia ita manifeſtè aut exprimitur aut intelligitur in omnib. ſcripturæ locis, in quibus Imagines prohibentur, vt nemo eam in dubium reuocare poſſit. *A Moyſe dictum eſt*, inquit S. Irenæus, diſcipulus eorum, qui diſcipuli fuerunt Apoſtolorum, *Non facies tibi omnem ſimilitudinem in Deum.* Et ipſemet Theodoretus: *ἀπαγορεύει, μηδεμίαν εἰκόνα πρὸς μίμησιν τινὸς τῶν ὁρωμένων κατασκευάσαι, καὶ νομίσαι τοῦτο δείκηλον εἶναι καὶ ἴνδαλμα τοῦ ἀοράτου θεοῦ.* [a] *Moyſes inhibet vllam fieri imaginem viſibilium rerum, eamq; opinari ſimulachrũ Dei eſſe, cùm videri Deus nõ poſſit.* Quapropter Dominus du Pleſſis hac in parte niti auctoritate ſcripturæ non poteſt. Nimium enim hæc inter ſe differunt, dicere,

[a] Theod. de cur Græc. affect. l. 2.

ſcriptu-

ſcripturam, vbi clarè oſtẽdit ſe loqui de falſorum Deorũ Imaginibus, quæ ab Ethnicis habentur & adorantur ꝑ Diis, Imagines hoc pacto circumſcriptas cum Idolis confundere, & dicere, illam ſimplices Imagines cum Idolis confundere. Sed eſto, tametſi ſcriptura illa duo confunderet, tametſi illa Iuſtinus Martyr confunderet, tametſi omnes reliqui Patres cõfunderent; quis non videt, non eſſe hic quæſtionẽ, vtrum iſti confundãt, ſed, vtrum confundat Theodoretus? Non enim agitur in hoc articulo, vt ſciatur, num Dominus du Pleſſis aut ſcripturam, aut Iuſtinum Martyrem, aut aliorum Patrum quempiam corruperit, ſed vtrũ Theodoretum corruperit. Atqui verò tantum abeſt, vt Theodoretus illa confundat, vt ad eorum diſcrimen patefaciendum peculiare caput ſcribat: prætereaq; fictores Idolorum execratione feriat, eos verò, qui S. Simeoni Stelitæ Imagines ponebant, benedictione proſequatur. Pergamus.

Inde

Inde Dominus du Plessis ad Minutium Felicem progreditur: Nam, quoad locum Tertulliani, is iam tum & allatus & expeditus fuit. *Minutius Felix*, inquit, *opprobranti Celso Ethnico, Christianos non habere Imagines, respondet hoc modo, Quis dubitat, inquit, horum Imagines consecratas vulgus orare? Et tertio post versu; Quod si animum quis inducat, inquit, quibus machinis simulachrum omne formetur.* Quot passus; tot lapsus. Nam in primis Celsum Philosophũ Alexandrinum, contra quem scribit Origenes, accipit pro Cęcilio Oratore Romano, contra quem disputat Minutius Felix, & existimat eundem esse aduersarium: Qua in re ostendit, quàm in antiquitate versatus sit, de qua nihilominus libros edit. Ac deinde, vel ipse, vel ipsius Monitor ex obiectione Cæcilij eclipsat dictionem, *nota*. In Minutio enim Felice habetur, Christianos non habere *Simulachra nota*: siue quod Christiani suas Imagines, vti reliqua sua vasa omnia, libros, ornatum sacrum ab

Dominus Pl. ss. in 3. edit. pag. 61. & 62.

Ethni-

Ethnicorum oculis remouerent & abderent; vti in Colloquio, cùm de Concilio Elibertino ageretur, insinuatum fuit, & vti ipsemet S. Cyprianus ipsos sua illis altaria occultasse testatur; [a] *Altaria Dei, vel nulla sunt, vel occulta:* siue, quòd eorum Imagines rerum essent Ethnicis incognitarum, neque familiarium ac vulgarium. En tibi ipsa Cæcilij verba: [b] *Cur etenim occultare & abscondere quidquid illud colunt, magnopere nituntur? cùm honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? Cur nullas aras habet, nulla templa, nulla simulachra nota?* Quibus ex verbis non est concludendũ, Christianos tunc temporis non habuisse Imagines, cùm iam indeà tempore Tertulliani, qui Minutio Felice superior fuit, Catholici, vt contra Montanistas argumentarentur, iisq; pœnitentiæ antiquitatem probarent, consuetudinem allegarent suam Imagines Christi in Calicibus depingendi: Sed eos vel Imagines suas occultasse & abscondisse, ab oculis Ethnicorum, vel non habuisse

Vide Acta Colloquij pag. 180.

[a] *Cypria. ep. ad Demetr.*

[b] *Minutius Felix in Octauio.*

Inde Dominus du Plessis ad Minutium Felicem progreditur: Nam, quoad locum Tertulliani, is iam tum & allatus & expeditus fuit. *Minutius Felix*, inquit, *opprobranti Celso Ethnico, Christianos non habere Imagines, respondet hoc modo, Quis dubitat, inquit, horum Imagines consecratas vulgus orare? Et tertio post versu; Quod si animum quis inducat, inquit, quibus machinis simulachrum omne formetur.* Quot passus, tot lapsus. Nam in primis Celsum Philosophũ Alexandrinum, contra quem scribit Origenes, accipit pro Cęcilio Oratore Romano, contra quem disputat Minutius Felix, & existimat eundem esse aduersarium: Qua in re ostendit, quàm in antiquitate versatus sit, de qua nihilominus libros edit. Ac deinde, vel ipse, vel ipsius Monitor ex obiectione Cæcilij eclipsat dictionem, *nota*. In Minutio enim Felice habetur, Christianos non habere *Simulachra nota*: siue quod Christiani suas Imagines, vti reliqua sua vasa omnia, libros, ornatum sacrum ab

Dominus Pless. in 3. edit. pag. 61. & 62.

Ethni-

Ethnicorum oculis remouerent & abderent; vti in Colloquio, cùm de Concilio Elibertino ageretur, insinuatum fuit, & vti ipsemet S. Cyprianus ipsos sua illis altaria occultasse testatur; [a] *Altaria Dei, vel nulla sunt, vel occulta:* siue, quòd eorum Imagines rerum essent Ethnicis incognitarum, neque familiarium ac vulgarium. En tibi ipsa Cæcilij verba: [b] *Cur etenim occultare & abscondere quidquid illud colunt, magnopere nituntur? cùm honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? Cur nullas aras habēt, nulla templa, nulla simulachra nota?* Quibus ex verbis non est concludendū, Christianos tunc temporis non habuisse Imagines, cùm iam indeà tempore Tertulliani, qui Minutio Felice superior fuit, Catholici, vt contra Montanistas argumentarentur, ijsq; pœnitentiæ antiquitatem probarent, consuetudinem allegarent suam Imagines Christi in Calicibus depingendi: Sed eos vel Imagines suas occultasse & abscondisse, ab oculis Ethnicorum, vel non habuisse

Vide Acta Colloquij pag. 180.

[a] *Cypria. ep. ad Demetr.*

[b] *Minutius Felix in Octauio.*

buiſſe Imagines notas & familiares Gentilibus, id eſt, Imagines Deorum Gentilium. Perinde ac Celſus, contra quem diſputat Origenes, quando Chriſtianis exprobrabat, quod ſimulachra, ἀγάλματα, non haberent; non intendebat negare ſimpliciter, illos Imagines non habere; ſed non habere Imagines Deorum, atque ſtatuas deificatas, & ſub Deorum titulo conſecratas. Hoc enim ſignificabat vox, ἀγάλματα, quando ab Ethnicis per excellentiam & in religionis materia vſurpabatur, nempe ſtatuas deificatas, & titulo Deorum conſecratas, aut, vt cum [a] Iulio Polluce loquamur, ἀγάλματα, ξόανα. εἴδη θεῶν, εἰκάσματα θεῶν. ſedes & effigies Deorum. Atque huic rei fidem adſtruunt partim obiectiones Celſi; videlicet, [b] Perſas æquè ac Chriſtianos ſtatuas non ferre: ὡς μὲν ἐμοὶ δοκέει δι' ὅτι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς, καθάπερ οἱ ἕλληνες, εἶναι. *vt equidem opinor, inquit, quia Deos non credunt eſſe humana ſpecie, quæ Græcorum eſt opinio.* Et paullo pòſt: οἱ δὲ

a. Poll. l. 1.

b Origen. l. 7 contra Celſum.

αὐλικοὺς

αὐληρυς τὰ ἀγάλματα ἀλμάζουσιν. εἰ μὲν ὅτι λίθος, ἢ ξύλον, ἢ χαλκὸς, ἢ χρυσὸς, ὃν ὁ δεῖνα ἢ ὁ δεῖνα ἠργάσατο, οὐκ ἂν εἴη θεὸς, γελοία ἡ σοφία. τίς γὰρ καὶ ἄλλος, εἰ μὴ πάντη νήπιος ταῦτα ἡγεῖται θεὺς; ἀλλὰ θεῶν ἀναθήματα, καὶ ἀγάλματα. *At isti*, Christiani, *in totum contemnunt statuas. Si vt lapidem, lignum, æs, aurum, ab illo vel illo expolitum, ridicula est hæc sapientia. quis enim alius, nisi sit totus fatuus, hæc Deos credit*, (id est, quoad propriam eorum substantiam, at non quoad Diuinitatis assistentiam,) *nō Dijs dicatas statuas?* Et alibi: ἐπεὶ δὲ ἐγκαλεῖ ἡμῖν, οὐκ οἶδ' ἤδη ὁποσάκις περὶ τῦ Ιησῦ, ὅτι ἐκ θνητῦ σώματος ὄντα θεὸν νομίζομεν, &c. παραβάλλοντας ἀνθρωπίνας τῦ Ιησῦ σάρκας, χρυσῶ καὶ ἀργύρω καὶ λίθω, ὅτι αὗται ἐκείνων φθαρτότεραι. [a] *Quòd autem nobis obijcit iam toties, quòd IESVM mortali corpore constantem credamus esse Deum, &c. conferens humanas IESV carnes cum auro & argento ac marmore, quòd illæ corruptibiliores sint*. Partim Origenis responsiones, quæ sic habent: ὑδεὶς ἐκείνων διὰ τὸ ἐκκλίνειν καὶ καταισπᾶν καὶ κατάγειν τὴν

[a] *Idem lib. 3. contra Celsum.*

 περὶ

περὶ τὸ θεῖον θρησκείαν ἐπὶ τὴν τοιαύτην ὕλην οὑτωσὶ ἐσχηματισμένην, οὐκ ἀνέκειται βωμῶν καὶ ἀγαλμάτων, οὐδὲ διὰ τὸ διειληφέναι περὶ δαιμόνων, ὅτι τοιοῖς δὲ παρακαθέξονται σχήματι καὶ χωρίοις, ἤτοι ὑπὸ τίνων μαγγανειῶν καταληθέντες. [a] *Illarum enim Gentium nemo ab aris & simulachris alienus est, quod vereatur numen ad viles has cærimonias detrahere, quæ versantur circa aras & materies effigiatas varijs Imaginibus, nec quòd intelligat dæmonas deuinctos hærere certis locis & statuis, siue incantatos quibusdam Magicis carminibus, &c.* Et paullo pòst: οὐ τιμῶμεν δὲ τὰ ἀγάλματα καὶ διὰ τὸ μὴ τὸ ὅσον ἐφ' ὑμῖν κατὰ πίπτειν εἰς ὑπόληψιν τὴν περὶ τοῦ εἶναι τὰ ἀγάλματα θεοὺς ἑτέρους. *Nos verò ideo quoque non honoramus simulachra, quia, quantum possumus, cauemus, ne quo modo incidamus in eam credulitatem, vt & his tribuamus diuinitatis aliquid.* Et iterùm: ἀλλ' οὐδὲ θείας εἰκόνας ὑπολαμβάνομεν εἶναι τὰ ἀγάλματα. *Ac ne Imagines quidem eorum putamus statuas.* Et alibi: ἀλλ' ἡ κοινὴ ἔννοια ἁπάντων ἐννοεῖν, ὅτι θεὸς οὐδαμῶς ἐστιν ὕλη φθαρτή, οὐδὲ τιμᾶται ἐν ἀψύχοις ὕλαις ὑπὸ ἀνθρώπων μορφου-

[a] Idem lib. 7

μορφώμθυ@-, ὡς κατ' εἰκόνα, ἤ τινὰ σύμβολα ἐκείνου γιγνομθύαις. διόπερ εὐθέως λέγεται τὰ περὶ ἀγαλμάτων, ὅτι οὐκ εἰσὶ θεοί. *Attamen* [a] *communis sensus iubet nos cogitare, Deum haud quaquam esse materiā corruptibilem, nec delectari hoc honore Imaginum ab hominibus fabricatarum, quæ effigiem eius aut significationem repræsentent aliquam. Ideo statim succurrit de simulachris, non esse hæc numina.*

[a] *Idem lib. 3.*

Neque magis inde concludendum est, Christianos Minutij Felicis ætate, non habuisse aras seu altaria, sed non habuisse aras, eo sensu, quo Ethnici hac voce, *Ara*, vtebantur, hoc est, quatenus aram significat, vt ita dicam, focariam. *Ara* enim eo ferè modo vsitabatur, vt esset nempe focus sacer, locus & sedes ignibus sacrificiorum destinatus. Qua de caussa etiam nonnulli, vti [b] Varro atque [c] Isidorus notant, eam ab *Ardendo* deriuabant. Eodem etiam alludit tritum illud Latinis prouerbium, *Pro aris & focis*, aras focis & viciſſim focos aris, vt focos sacros focis domesticis op-

[b] *Varro de ling. lat. l. 4.*
[c] *Isid. Orig. lib. 15.*

ponens: Itemq; apophthegma Augusti Cæſaris, qui Tarraconenſibus palmam in ara eius enatam nunciantibus, [a] *Apparet*, inquit, *quàm ſæpè accendatis*. Hoc ſenſu igitur, nimirum, quatenus ara focum ſacrum, & locum immolandis vrendisq; hoſtijs, & fuſo ſacrificiorum ſanguini recipiendo conſecratum ſignificat; Chriſtianis obijciebant, non habere Ipſos aras. Atque eam ob rem agitabatur Latinè quæſtio in voce *Ara* non in *Altare*, Itemq; Græcè in voce βωμὸς, quæ, quoad hunc vſum voci *Ara* reſpondet, non autem in voce θυσιαστήριον. Confundebant enim [b] Græci βωμὸς, excepta baſi, cum ἑστία & ἐσχάρα, quæ focum ſignificant. Ideoque Origenes opprobranti Celſo Chriſtianis, quòd βωμοὺς, id eſt, *Aras* non haberent; fatetur ille id quidem: ſed non fatetur eos θυσιαστήρια, id eſt, *Altaria* non habere: E contrario, diſertè Chriſtianos θυσιαστήρια, *altaria* habuiſſe in homilia decima in Ioſue teſtatur. [c] *Sunt in nobis*, inquit, *quorum fides hoc*

[a] Quintil. Inſt. or. l. 6.

[b] Amm. περὶ ὁμ. καὶ διαφ. in voc. βωμός.

[c] Orige. interpr. Latin. Baſil. in Ioſ. hom. 10.

hoc tantummmodo habet, vt ad Ecclesiam veniant, & inclinēt caput suum sacerdotibus, officia exhibeant, seruos Dei honorent, ad ornatum quoque altaris vel Ecclesiæ (θυσιαστηρίου, ἢ ἐκκλησίας) *aliquid conferant; nō tamen adhibent studium, vt etiam mores suos excolant.* Et S. Cyprianus, Minutij Felicis, Origenisque æqualis, Christianos non modò altaria habuisse attestatur; verum etiam *altaria Christianorum, aris Paganorum* opponit. *Porrò* [a] *autem Eucharistia*, inquit in epistola ad Ianuarium, *& vnde baptizati vnguntur, oleum, in altari sanctificantur:* Et in epistola ad Demetrianum, de persecutione Gentilium conquerēs; *Fumant* [b] *vbique in templis vestris hostiarum busta, & rogi pecorum, & Dei altaria vel nulla sunt, vel occulta:* Et in vna epistolarū ad Cornelium: [c] *Quid superest, q̄ vt Ecclesia Capitolio cedat, & recedentib. sacerdotib., ac Domini altare remouētibus, in Cleri nostri sacrū venerandumq́; consessum, simulachra atque idola cum aris suis transeant?* Et in Epistola ad Epictetum, de quodam Episcopo loquēs,

[a] *Cypr. ep. 70 ad Ianuar.*

[b] *Idem epist. ad Demetr.*

[c] *Idē ad Cornel. epist 55.*

qui idolis cum ſacrificaſſet perſecutionis tempore, ab eo recipi volebat. *Quaſi*, [a] inquit, *poſt aras Diaboli, accedere ad altare Dei fas ſit*. Non ignoro tamen differentiam hanc non à cunctis obſeruatam eſſe. Nam Tertullianus quolibet iſtorum antiquior altaria Chriſtianorum non veretur *aras* appellare. [b] *Nonne ſolennior, inquit, erit ſtatio tua, ſi ad aram Dei ſteteris? Accepto corpore Domini & reſeruato, vtrumque ſaluum eſt, & participatio ſacrificij & executio officij*. [c] Itemque contrà Arnobius, longo tempore pòſt, Gentilibus largitur, non habere *altaria* Chriſtianos, vſurpans vocem *altaria* perinde atque *aras* Ethnicorum ſenſu, pro Deorum focis ſcilicet: vti ex epitheto, *ſuccenſa*, alijsq; ſimilibus planum euadit. At ille [d] tunc nec dum myſterijs initiatus erat, &, quod conſequens eſt, de Chriſtianorum altaribus atque ſacrificijs necdum informatus: Et quamuis fuiſſet, nihil tamen de ijs reuelare infidelibus poterat. Minus inde etiam concludendum

[a] *Idem ad Epiſt. ep. 64*

[b] *Tertull. l. de orat. c 4.*

[c] *Arnob. ad uer. gentes, lib. 6. & 7.*

[d] *Hieron. in Chronico.*

dum eſt, non habuiſſe templa Chriſtianos, ſed nõ eo ſenſu habuiſſe, quo Pagani, in materia religionis, nomine *Templi* vtebantur, quo nimirum thecas, habitacula, & viſibilia Deorum, hoc eſt, ſimulachrorum, quæ deificata & in Deos cõſecrata erant, repoſitoria ſignificabat. Poſtquam enim Paganiſmus ad ſummum peruenerat ſuperſtitionum cumulum, primum omnium in templorum Gẽtilium fabrica aut dedicatione erat, Deum ipſum aut deificatum ſimulachrum collocare, vnde ædificium, Templum efficiebatur. Ideoq; Iulius Pollux modum hunc loquendi inter formulas in templorum ſtructura vſitatas refert; [a] *περιεργάσασθαι τὸν νεὼν τῷ ἀγάλματι: Circumſtruere templum ſimulachro.* Quam ob cauſam, quando, *Templa abſque ſimulachris*, dicebant, de ijs vt de re imperfecta, & vt de relatiuo abſque correlatiuo loquebantur. Ac propterea prima cærimonia, quã Ciceronis inimici obſeruarũt, [b] cùm domum illius conuertere voluerunt in tem-

[a] *Iul Pollux lib. 1.*

[b] *Cicero. in orat. pro domo ſua.*

in templum, hæc fuit, vt in eam adferrẽt statuam, ex qua simulachrum diuinum effecerunt, atque eam formulis suis & mysterijs in Deum consecrarunt, ac Deam libertatis nominarunt. Hinc illi etiam Græcum nomen *ναὸς*, quod Templũ significat, à verbo *ναίειν*, *habitare*, deriuabant, eo quòd Deorum habitacula essent, Latinisq; *templa* dicerentur, quasi Cœli moduli quidam & epitomæ, quod Deorum erat ordinaria habitatio, atque antiquitus *Templum* vocitabatur. Atque hanc eandem ob caussam notat [a] Cicero, Persas, cum in Græciam venissent, illius *inflammasse templa, quod parietibus includerent Deos*. Hoc sensu igitur Christiani contra Ethnicos disputantes se templa non habere confitebantur, quatenus ea scilicet habitacula Deorum erant. [b] *Et cùm homo latius maneam*, inquiebat Minutius Felix, *intra vnam ædiculam vim tãtæ Maiestatis includam?* Et Arnobius: [c] *Templum hoc Martis est, hoc Iunonis, & Veneris: Apollo hic habitat, in hoc manet*

[a] *Cic. de leg. lib. 2.*

[b] *Minut. Felix in Octauio.*

[c] *Arnobius lib. 6.*

Hercù-

Hercules, illo Summanus ; ista non prima & maxima contumelia est, habitationibus Deos habere districtos ? At eo significatu, quo nos vocem, *Templa*, vsurpamus, pro locis videlicet ad sacrificandum Deo, iuxta cultum legis Euangelicæ, destinatis: & Minutij & Arnobij tempore Christianos habuisse templa certissimum est. Nam præterquam quòd Prudentius, qui Minutij Felicis fuit æqualis, Martyrium Diui Laurentij describens, canit,

[a] *Astare pro templo iubet*, (Pauperes:) νεὼς τε αὖθις ἐκ βάθρων εἰς ὕψος ἄπειρον ἐγειρομένους. [b] Eusebius Constantinum commemorat, vt primùm & Imperiū & Fidem Christianam sumpsit, Christianorum templa, quæ Ethnici Imperatores demoliti erant, instaurari curauisse. Verùm ad *simulachrum* redeamus, videamusq; , tametsi in eo non versetur quæstio, num Minutius Felix id cum *Imagine* confundat.

[a] *Prudent. in hymno B. Laur.*

[b] *Euseb. historiæ Eccles. lib. 10.*

Minutius Felix, inquit Dominus du Plessis, *scribit* ; *Quis dubitat horum imagines consecratas vulgus orare? &c. Et*

Dominus du Plessis 3. edit. pag. 611 & 612.

post tertium nihilominus versum eas simulachra appellat. Quod si animũ quis inducat, quibus machinis simulachrum omne formetur. Quid hîc possim dicere aliud, quàm id esse hac in re non plus videre, quàm Imago videat? Minutius Felix dictionem, *Simulachra*, hac periphrasi, *Imagines consecratas*, id est, *deificatas*, explicat: Et Dominus du Plessis inde concludit, Imagines isto loco & simulachra æquipollentia esse. Nam quòd Ethnici istic *consecrare*, &, *deificare*, pro eodem vsurpauerint, atq; per consecrationem Idolorum, in ijs ipsorum falsorum Deorum diuinitatem incorporari includiq; existimauerint, non necesse est, vt probetur, Tertullianum allegare, qui clamat: [a] *Simulachra, &c. materias sorores esse vasculorum &c. quasi fatum consecratione mutantes*: Neque S. Cyprianum, qui ait: [b] *Hi spiritus sub statuis atque Imaginibus consecratis delitescunt.* Integer tantummodo Minutij locus legendus est: [c] *Quod si animum quis inducat tormentis quibus, & quibus machinis si-*

[a] Tertull. in Apolog. c. 12

[b] Cyp. lib. de Idol. vanit.

[c] Minutius Felix in Octauio.

nis simulachrum omne formetur, erubescet temerè se materiei ab artifice, vt Deum faceret, illusum. Deus enim ligneus, rogi fortasse vel infelicis stipitis portio, suspenditur, cæditur, dolatur, runcinatur. Et Deus æreus, vel argenteus de immundo vasculo, vt sæpius factum Ægyptio Regi, conflatur, tunditur malleis, & incudibus figuratur: Et lapideus cæditur, scalpitur, & ab imperito homine læuigatur: nec sentit suæ natiuitatis iniuriam: ita vt nec postea de vestra veneratione culturam, nisi fortè nondum Deus saxum est, vel lignum, vel argentum. Quando igitur hic nascitur? Ecce funditur, fabricatur, scalpitur, nondum Deus est; Ecce plumbatur, construitur, erigitur, nec adhuc Deus est: Ecce ornatur, consecratur, oratur; tunc postremò Deus est. Est hoc æquare vocem, *simulachra*, simplicibus Imaginibus; an autem Imaginibus factis habitisq; pro Diis?

Succedit Isidorus, quem Dominus du Plessis citat his verbis: *Vnde etiam est, quòd Isidorus in eo nihil astutè cogitet: Simulachra, inquit, à similitudine nuncupata; eo quòd manu artificis ex lapide aliaue*

Dominus du Plessis 3. edit p. 62.

materia

materia eorum vultus imitantur, in quorum honores finguntur. Reuera Isidorus in eo nihil admodum astutè cogitat, sed Dominus du Plessis pro vtroque satis. Nam in primis alterũ loci istius dimidium resecat, quod sic habet: *Ergo simulachra, vel pro eo quòd sunt similia, vel pro eo quod simulata atque conficta, vnde & falsa sunt.* Deinde dissimulat Isidorum profiteri se non essentiales rerum definitiones dare, sed definitiones Etymologicas, quas Dialectici *nominum notationes* appellant: Quam ob caussam etiam is librum suum nõ, *de Definitionibus*, sed, *de Originibus aut Etymologijs*, inscribit. Ac propterea, quando eò in loco *simulachrum*, per *similitudinem* exponit; aut paullo pòst, *Idolum* per *Formulam*: istæ sunt non Theologicæ sed Grammaticæ interpretationes; etymologiæ sunt, non definitiónes. Quanquam etiam dum *Idolum* explicat per *Formulam*, formulam intelligit consecratam. Dixerat enim paullo antè, *Idolum est simulachrum, quod humana effigie factum & consecratum*

Isidor. lib. 8. Origin.

Idem ibid.

ſecratum eſt, id eſt, ad ſenſum Gentiliũ accommodatè, *Deificatum*. Tertiò denique Iſidorum diſſimulat eas interpretationes, non ſub titulo de pictura, aut de ſculptura, ſed ſub titulo, *de dijs Paganorum*, collocare. Quare oſtendit, tametſi quoad originem & etymologiam, Idola, Simulachra, & Imagines ſynonyma forent, quoad vſum tamen ſui temporis, Idola & ſimulachra ſub eo rerum genere fuiſſe, quæ ab Ethnicis pro Dijs habebantur. Sed quorſum id refutare verbis, quod factis ipſis confutatur? Certò conſtat, neque vllus id, modò antiquitatis peritus ſit, in dubium reuocare poteſt, Iſidori ætate, id eſt, abhinc mille añis, Chriſtianos in omnibus ſuæ cõuerſationis locis & Chriſti & ſanctorum ipſius habuiſſe Imagines. Habebant in ſuis templis: Prudentius, abhinc amplius mille & ducentis annis, de S. Caſſiani loquens altari, ante quod proſtratus erat;

[a] *Erexi in cælum faciem*, inquit, *ſtetit obuia contrà*

[a] *Prudent. in hymno S. Caßiani.*

Fucis

Fucis colorum picta Imago Martyris.

S. Paulinus eiusdem auctor sæculi, in ædificio Baptisterij Seueri: [a]

[a] S. Paulin. l.1. epist. 4.

Martinum veneranda viri testatur Imago;
Altera Paulinum forma refert humilem.

Et in descriptione trium Sacellorum, quæ ipse Basilicas, aut sanctas Aulas appellat, templi S. Felicis.

[b] Idē in Natali 10. Felicis.

[b] *Martyribus*, canit, *mediam pictis pia nomina signant,*
Quos par in vario redimiuit gloria sexu.
At geminas, quæ sunt dextra, læuaq́ue patentes,
Binis historijs ornat pictura fidelis.
Vnam sanctorum complent sacra gesta virorum,
Iob qui vulneribus tētatus, lumine Tobit.
Ast aliam sexus minor obtinet, inclyta Iudith:
Qua simul & Regina potens depingitur Esther. Et paullo pòst:
--- *sanctasq́ feramur in aulas,*
Miremurq́ sacras veterum monumenta figuras.

S. Gre-

S. Gregorius Nyssenus de templo S. Theodori loquens, ab abhinc mille ducentos & triginta annos: ἐλθών τις εἰς τι χωρίον ὅμοιον τούτου, ἔνθα σήμερον ὁ ἡμέτερος σύλλογος, ὅπου μνήμη δικαίων καὶ ἁγίων λειψάνων, τῇ μεγαλοπρεπείᾳ τῶν ὁρωμένων ψυχαγωγεῖται, οἶκον βλέπων ὡς θεοῦ ναὸν ἐξησκημένον λαμπρῶς τῷ μεγέθει τῆς οἰκοδομῆς, καὶ τῷ κάλλει τῆς ἐπικοσμήσεως, &c. ἐπέχρωσε δὲ καὶ ζωγράφος τὰ ἄνθη τῆς τέχνης, ἐν εἰκόνι διαγραψάμενος τὰς ἀριστείας τοῦ μάρτυρος, &c. τοῦ ἀγωνοθέτου Χριστοῦ τῆς ἀνθρωπίνης μορφῆς τὸ ἐκτύπωμα. [a] *Quòd si quis venerit ad aliquem locum similem huic, ubi hodie noster conuentus habetur, ubi memoria iusti sanctæque reliquiæ sunt; primùm quidem earum rerum magnificentia, quas videt, oblectatur, dum ædem vt templum Dei & magnitudine structuræ, & adiecti ornatus decore splendidè elaboratum intuetur &c. Induxit autem etiam pictor flores artis in imagine depictos, fortia facta martyris, &c. athletæ certaminũ præsidis Christi humanæ formæ effigiem.* Et S. Basilius ipsius frater in oratione de Martyre Barlaam: ἐγγραφέσθω τῷ πίνακι καὶ ὁ

[a] *Greg. Nyss. or. in Beat. Theod.*

τῶν

τῶν παλαισμάτων ἀγωνοθέτης Χριςός. *Pingatur* [a] *in tabula vna & certaminum agonotheta Christus.* Et Sozomenus Theodoreti æqualis, de statua Christi loquens, quam Iulianus Apostata abhinc mille ducentos & quadraginta annos deturbari curauit: τὸν δὲ τοῦ Χριςοῦ ἀνδριάντα τότε μὲν οἱ ἑλληνιςαὶ σύροντες, κατέαξαν. μετὰ δὲ τοῦτο οἱ Χριςιανοὶ συλλέξαντες ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐπέθεντο, ἔνθα καὶ νῦν φυλάττεται. [b] *Christiani*, inquit, *postea eius fragmenta cùm collegissent, in Ecclesia posuerunt, vbi etiam adhuc custoditur.* Et Euagrius de Thoma nobili Apameæ Episcopo abhinc mille ducentos & quinquaginta annos loquens: ἀνετέθη τοίνυν καὶ εἰκὼν τὸ ὄροφον τῶν ἀνακτόρων. [c] *Imago*, inquit, *in testudine sanctuarij statuta fuit.* Et S. Gregorius Magnus, abhinc mille annis: [d] *In locis venerabilibus Sanctorum depingi historias, non sine ratione vetustas admisit.* Et S. Gregorius Turonensis ipsius æqualis: [e] *Tanto Christus amore diligitur, vt cuius legem in tabulis cordis credentes populi retinent, eius etiam Imaginem ad com-*

[a] Basil. orat. in B. Mart. Barlaam.

[b] Sozom. l. 5 hist. Eccles. cap. 20.

[c] Euagr. l. 4. hist. Eccles. cap. 26.

[d] Gregorius Magn. l. 9. Epist. 9.

[e] Gregorius Turonens. miracul. l. 1.

commemorationem virtutis in tabulis visibilibus pictam, per Ecclesias ac domos adfigant. Habebant eas in maximè venerandis ministerij sui vasis: Tertullianus contra Catholicos disputans, abhinc mille quadringentos annos; [a] *Procedant*, inquit, *ipsæ picturæ calicum vestrorum:* Et iterùm singulari numero populum Catholicum alloquens vniuersum: *Pastor, quem in calice depingis &c.* Habebant eas in locis publicis: Eusebius, cùm de Imaginibus agit, quas Constantinus erigi fecerat, propè annis abhinc mille & trecentis, εἴδες δ' ἂν ἐπὶ μέσων ἀγορῶν κειμένας κρήναις τὰ τοῦ καλοῦ ποιμένος σύμβολα, τοῖς ἀπὸ τῶν θείων λογίων ὁρμωμένοις γνώριμα, τόν τε Δανιὴλ σὺν αὐτοῖς λέουσιν ἐν χαλκῷ πεπλασμένα, χρυσοῦ τε πετάλοις ἐκλάμποντα. [b] *Videas etiam adhuc licet*, inquit, *apud fontes in medio foro positos pastoris præclari symbola, illis qui sacris litteris eruditi sunt, satis cognita. Danielem quoque cum leonibus in ære incisum, aurique laminis splendescentem.* Habebant eas in carceribus: Euagrius abhinc amplius

[a] Tertull. li. de pud. c. 7.

[b] Euseb. in vita Constant.

mille annis, de ira loquens Tiberij secundi aduersus impium Anatolium ἅπερ ἐγνωκὼς ὁ Ἀνατόλιος ἐπί τινος εἰκόνης τῆς θεοτόκου κατὰ τὴν εἱρκτὴν καλωδίῳ ἠωρημένου, ἐκδραμὼν, καὶ ὀπίσω τὰ χεῖρε ἐπιστρέψας, τὴν ἱκετεύοντα καὶ δεόμενον ἀπήγγειλεν. [a] *Quibus*, inquit, *rebus cognitis, Anatolius ad Imaginem quādam Deiparæ Mariæ fune in carcere sublimem appensam accurrens, manibus à tergo complicatis se ei supplicare, precesq́; adhibere ostendit.* Habebant eas in nauium proris; Procopius abhinc annos mille & quinquaginta: ταῖς γὰρ πρώραις ἀεὶ θεῶν εἰκόνας ἐνέγραφον, ὡς καὶ νῦν ἁγίων μαρτύρων. *Proris* [b] *enim nauium semper Deorum Imagines appingebant, vt & nunc sanctorũ Martyrum.* Habebant eas vel etiam in hortis suis: S. Hieronymus, abhinc mille & ducentos annos; [c] *Dicitur me accusasse sacrilegij, quòd pro cucurbita hederam transtulerim, &c. Et reuera in ipsis cucurbitis vasculorum (quas vulgò Saucomarias vocant) solent Apostolorum Imagines adumbrari.* Habebant eas in omni instrumento suo domestico: S. Chrysosto-

[a] *Euagr. l. 5. hist. Eccles. cap. 18.*

[b] *Procop. in Esaiam.*

[c] *Hier. in Ionam cap 4.*

ſoſtomus de effigie S. Meletij loquẽs; καὶ γὰρ ἐν δακτυλίων σφενδόναις, καὶ ἐκπώμασι, καὶ φιάλαις, καὶ ἐν θαλάμων τοίχοις, καὶ πανταχοῦ τὴν εἰκόνα τὴν ἁγίαν ἐκείνην ἐχάραξαν πολλοί. [a] *Multi*, inquit, *& in annulorum palis, & in poculis, & in phialis, & in cubiculorum parietibus; & vbiq; ſculptam aut pictam illius imaginem habere voluerunt.* In cærimoniis atq; pompis eas adhibebant: Beda S. Auguſtini Archiepiſcopi Cantabrigienſis, quem in Angliam D. Gregorius miſerat, deſcribens aduentum; [b] *Crucem pro vexillo ferentes argenteam*, inquit, *& imaginem Domini Saluatoris in tabula depictam, litaniasque canentes, &c.* Pro earum vſu ac veneratione aduerſus Iudæorum calumnias peculiaria volumina conficiebant; Teſtes libri à Stephano Epiſcopo Boſtrano in Arabia, & à Leontio Epiſcopo Neapolitano in Cypro de hoc argumento aliqui abhinc mille, alij abhinc mille & centum annis conſcripti, & à S. Damaſcenò Concilioq; Nicæno ſecundo citati, imò & ab iſto ſuppoſititio Pariſienſi

[a] Chryſ. orã. in B. Meler. et apud Damaſc. libr. 1. de Imag.

[b] Beda libr. Eccleſ. hiſt. Angl. c. 25.

ſienſi Concilio, quod Dominus du Pleſſis toties inculcat. Et tamen certum eſt nunquam vel Iſidorum vel vllum alium iſtius ſæculi auctorem dixiſſe, Eccleſiam Catholicam habere Idola: Contrà ſcribit Iſidorus: a *Per Effraim Hæreticos arguit, qui recedentes qualicunque ex cauſſa ab Eccleſiæ vnitate, participes facti ſunt Idolorum.* Quemadmodum igitur nunc *Imago*, & *Idolum*, aut *Simulachrum*; quando pro *Idolo*, ponitur, indifferenter ab Iſidoro vſurpantur, cùm Eccleſia ipſius temporis plena fuerit Imaginibus, neque tamen commercij quicquam, ne quidem Allegorici, cum Idolis habuerit? Veniamus ad Scholaſticos.

a *Iſid. r. libr. proœmiorũ.*

Dominus du Pl ſ. 43. cast p. 62.

Quin inter ipſos Scholaſticos, (ſubdit Dominus du Pleſſis) *Thomas ſic dicit, ſimulachrum dicitur, quod fit ad ſimilitudinem rei alicuius.* An non hoc eſt vitare Scyllam, vt incidas in Charybdin? Clamando laſſus ſum, non quæri nũc de voce *ſimulachri*; ſed de voce *Idoli:* Et quãtumuis de voce *ſimulachri* ageretur; non hic tamen diſputari, num

reliqui

reliqui ſcriptores Imagines appellẽt, *Simulachra*: ſed num latina ſcripturæ verſio, ex qua Theodoreti interpres hoc verbum repetit, ſimulachrum & ſimplicem Imaginem pro eodem vnquam vſurpauerit. At ille pro eo, teſtimonium adfert S. Thomæ, qui dicit; *Eſt differentia inter Idolum & ſimulachrum; quia ſimulachrum dicitur, quod ſit ad ſimilitudinem rei alicuius naturalis:* Neq; aduertit eundem S. Thomam ſuam ipſi damnationem immediatè pôſt pronunciare, hiſce verbis: *Idolum ad nullius rei fit ſimilitudinem.* Verùm ipſi euenit, quemadmodum Vriæ: Litteras ſuæ mortis fert, neque ſcit quid ferat: Excerpta ab alijs ſibi data profert, quid præeat, quidúe ſequatur, nihil ſolicitus. Locus ergo integer ſic habet: *IDOLVM NIHIL EST IN MVNDO: Hoc tripliciter exponitur: Primo modo ſic, Idolum nihil eſt, id eſt, inter creaturas mundi, quantum ad formam Idoli: Licet enim materia Idoli ſit aliquid ſcilicet aurum vel argentum, vel huiuſmodi; tamen nihil eſt forma, ſcilicet*

S. Thomas in 1 Cor. c. 8.

quæ creditur ibi esse ab Idololatris, qui credunt Idolum esse Deum,&c. Secundo modo sic, Idolum nihil est, scilicet persona subsistẽs ex simulachro & spiritu præsidente: ex illis enim duobus nihil fit, sicut ab Idololatris putatur.&c. Tertio modo sic, Idolum nihil est in mundo, id est, nullius rei, quæ sit in mundo, habet similitudinem: Est enim differentia inter Idolum & Simulachrum: quia simulachrum dicitur, quod fit ad similitudinem rei alicuius naturalis: Idolum ad nullius rei fit similitudinem: vt si corpori humano addatur caput equinum, Esai. 40. Cui similem fecistis Deum? Et Prædicans ille, qui de schedis memorialibus Domino duPlessis prouidet, tam est Idolum, vt ei hunc locum in ea disputatione suppeditet, in qua status quæstionis est, vtrum Theodoretus *Idolum* atque *Imaginem* æquipollere existimauerit.

Dominus Plessius 3. edit. p. 62.

Et Durandus; Idolorum immodicus vsus reprobatur, moderatus probatur. Et hîc Domini du Plessis Summonitor geminum familiaris sibi industriæ actum ei exhibet: Nam primùm facit

eum,

eum, vt & alibi, citare Durandum Iurisconsultum pro Durando Scholastico. In quo satis ostendit se non esse magnũ Scholasticum, nisi quatenus scholasticus puerum scholasticum significat. Ac deinde ei, veluti Procis Penelopes, Ancillam pro Domina obtrudit, id est, glossam pro textu. Non enim est Durandus, qui hoc dicit, quod ei adscribit; est ipsius famulus. Non, inquam, est textus Durandi, in quo hæc verba habentur; est Index & argumentum cuiusdam Nicolai Doardi in quodam Lugdunensi Typographeo Correctoris, qui abhinc circiter viginti quinque aut triginta annos Petro Roussino Librario famulabatur, quem ille pro Durando accipit, qui abhinc amplius trècentis annis scribebat; Non hoc dignum est, quod in Scena spectetur? Esse enim Nicolaum Doardum, & non Durandum istius Indicis, & Argumentorum & Summariorum capitum, constat tam ex antiquis editionibus, in quibus ea non reperiun-

Nicol. Doardi in Indice Rationalis Durãdi, & in argum, c, 3. l. 1. in Sum. artic. 4.

tur, quàm ex epiſtola, quam idem Doardus in limine præpoſuit, qua iſtius Indicis & Argumentorum & Summariorum additorum hiſtoriam complectitur. Quapropter poteſt omnino Dominus du Pleſſis locum hunc in vaginam recondere, qui tamen vnicus eſt, quem ipſe aptè & ad rem attulerat, ſi verus fuiſſet; eo quòd exemplum præbebat vocis *Idoli*, cum pro Sanctorum Imaginibus adhibetur; ſuumque illum ſchedarium Procuratorem commonefacere, ne libros aliàs per Indices ediſcat, niſi cõſtanter velit vti cœpit, ſe ludum Lectoribus facere. Nam quoad alterum locum, quem verè ex Durando adducit, nempe, *Ex ſimilibus authoritatibus reprobatur nimius Imaginum vſus*: Quis negat Imaginem eſſe genus, & Idolũ ſpeciem; ſicq; quando hæc conditio, additur, vt Imagines Deorum ſint, vel pro Dijs habeantur (id quod Durandus per *vſum nimium* intelligit, vti oſtendit, cum inquit, *Nos illas non adoramus; nec ſpem ſalutis in eis ponimus, quia hoc*

Durand. in ratio l. 1. c. 3.

hoc esset Idololatria; sed ad memoriam & recordationem rerum olim gestarum eas veneramur.) eas esse Idola: illaq; sublata, manere has simplices licitasque Imagines?

Sequitur ex Scholasticis, tertio loco, Holcot, quem in ipsa Collatione domino du Plessis satis fuit citare; sed hîc ipsa eius verba producit, vtpote, qui sit ex auctoribus Grecorum ipsius studiorum optimis vnus. *Holcot etiam*, inquit, locum quendam explicans Sapientiæ aduersus Idololatras, scribit, *Spiritus sanctus consequenter aggreditur reprobare Idololatras colentes naturales creaturas.* Ita habet: Æquipollent istic apud Holcot Imagines, de quibus ipse loquitur, nempe falsorum Deorum Imagines, & Idola. Nam quòd Holcot illic de falsorum Deorum Imaginibus agat, liquidum euadit & ex ipso Sapientiæ contextu, qui sic habet; *Appellauerunt Deos opera manuum hominum:* & ex ipsis, quibus Holcot verbis vtitur; *Isti aberrantes & colentes Imagines falsas, meritò dicũtur infelices.* Et iterùm:

Sapient. c. 13 Holcot in c. 13. libr. Sap. lect. 157.

Ita nec de istis est vnquam spes, quod ad vitam gratiæ possint redire, qui appellauerunt Deos opera manuum hominum. Holcot igitur confundit Idola & Imagines: Nego. Confundunt Philosophi hominem & animal rationale, proq; eadem re vsurpant: verum est: Ergo confundunt hominem & animal, & ceu terminos ęquipollētes vsurpant: falsum est. *Præterea,* inquit, *adiungit Holcot, Non facies tibi Imaginem, &c. exprimens nomen Idoli per Imaginem.* Et ego adiungo, absque responsionum aliarum præiudicio, verba illa esse aduersariorum Ecclesiæ, quæ Holcot ex S. Thoma repetit, qui ea in tertio sententiarum, quæstione nona attulerat refutaueratq;: quę Dominus du Plessis ex præclaro suo more pro verbis Holcot allegat, vti planum fit & ex ipsa quæstionis positione, quæ est huiusmodi, *Vtrum licet,* inquit Holcot, *Christianis aliquas Imagines adorare? Et arguitur, quod non: quia Exod. 20. dicitur, Non faces tibi Imaginem, neque vllam similitudinem, &c. Sed si non licet facere, multo*

Holcot ib.

multo fortius non licet adorare. Et ex oppoſitione ad argumenta aduerſariorum, quæ paulo pòſt hiſce verbis conſequitur: *Ad oppoſitum eſt ritus Eccleſiæ; & Damaſcenus lib.4.c.8. quod intitulatur de ſanctis Imaginibus.* Quamuis enim Holcot, quoad adorationem, aliud reſpondeat quàm D. Thomas; hoc pacto nimirum: *Vnde videtur mihi dicendum, quòd nec adoro Imaginem Chriſti, quia lignum, nec quia Imago Chriſti: ſed adoro Chriſtum corã Imagine Chriſti; quia eſt Imago Chriſti, & excitat me ad adorandum Chriſtum.* Et paullo antè: *Quia autem propter Imaginem Chriſti excitamur ad adorandum Chriſtum, & corã Imagine adorationem noſtrã facimus Chriſto: Ergo dicitur, largè loquendo, quod Imaginem adoramus:* Nihilominus, quoad hoc, vtrum facere atq; habere liceat Imagines, id quod prima & immediata argumenti concluſio impugnat; diſertè & formaliter contrarium ſentit, quodque obiectioni è diametro repugnat, nempe, licere, vtileq; eſſe facere atque habere Imagines Chriſti &

Idem infrà.

Idem ibidẽ

Idem ibid. sti & Sanctorum ipsius: imò in solutione tertij argumenti, respondet; *Est autem notandum, quod vsum Imaginum in Ecclesia introduxerunt Apostoli, licet hoc in canone bibliæ nullibi exprimatur.* Habes, Lector, quemadmodum Holcot de Imaginibus loquatur: At contrà de Idolis quonam modo loquatur, ecce tibi ipsa eius verba; *Lignum,* inquit, *quod est Idolum, est dignum maledictione propter duo: tum ratione facientis, qui peccauit fabricando, &c. tum ratione rei factæ, quæ indignè cognominatur Deus, in præiudicium Maiestatis æternæ, id est, diuinæ.* Et paullo pòst: *Notandum quòd Idolum accipitur tripliciter in processu isto. Vno modo, pro materia figurata lignea, vel lapidea, vel metallina; Et sic verum est, quòd Idolum est aliquid: Secundò modo accipitur pro Diabolo præsidente tali Idolo; Et sic etiã est aliquid. Tertio modo accipitur Idolum quasi pro quodam composito ex Dæmone & materia figurata: sicut homo componitur ex corpore & anima: Et sic loquitur Apostolus 1. Corinth. 18. Scimus quia nihil est Idolum in mundo.* Et post hæc

Holcot in c. 14. sapient. lect. 61.

hæc Dominus du Plessis sibi hoc ignorantiæ pleno epiphonemate applaudit; *Adeo noua hæc est inter Christianos Idoli atque imaginis distinctio*: quasi verò vniuersale Concilium secũdum Nicænum (vt alia testimonia, quæ deinceps laudabuntur, nõ attingam,) quod toties hæc verba repetit; τοῖς ἀποκαλοῦσι τὰς ἱερὰς εἰκόνας εἴδωλα, ἀνάθεμα. *Iis, qui sacras Imagines Idola appellant, anathema.* nõ sexcentis propè ante Holcot annis celebratum fuisset.

Conc. Nicæ. 2. Act. 4. 5. & 7.

Eò vsque etiam, prosequitur Dominus du Plessis, *vt Pius V. Idolum & Imaginem confundat in his verbis; In scripturis legimus mandato Dei picta fuisse simulachra & imagines, vt Cherubinorum, serpentis, &c.* At ego respondeo eum non confundere *Idolum* & *Imaginem*, sed *Simulachrum*, & *Imaginem*, vt ex ipsismet verbis liquet, quæ citat Dominus du Plessis. Jam verò non disputatur de vocabulo *Simulachri*, sed de vocabulo *Idoli*: Theodoretus enim, qui Græcus erat, non Latinus, non *Simulachra*, sed *Idola* scripsit: quod Dominus

nus du Plessis, vti iam antè adeo inculcatum est, ignorare non poterat. Et tametsi quæstio foret de vocabulo *Simulachri*, non foret tamen controuersia, an aliqui auctores *Simulachrum* & *Imaginem* confuderint; id quod nemo negat: sed, num aliqui ea distinxerint. Nam etsi mille reperirentur, qui ea confudissent, si tamen sint, qui ea distinguant, desinetne propterea esse falsitas, quando vnum pro altero supponitur, præsertimq; in ijs auctoribus, qui ea voluerunt distinguere? [a] S. Hieronymus confundit *essentiam*, & *hypostasin*, & ait; *Tota sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasim, nisi vsiam nouit*. Mihi igitur, cum conuertam S. Basilium, S. Gregorium Nyssenum, S. Cyrillum, Theodoretum, & huiusmodi alios, qui in Deo esse tres hypostases affirmant, nomen hypostasis auferre, eique essentiæ nomen supponere, atque tres essentias in Trinitate esse dicere licebit? Procul hinc istiusmodi blasphemia. Atqui verò Domin⁹ du Plessis dubitare non

[a] *Hieron. ad Damascon. epist. 1.*

nôn poteſt quin auctores ſint, qui inter Idolum & Simulachrum conſtituant: Nam ipſa illa Synodus Pariſienſis ab eo prolucta, ſic habet: [a] *Aliud enim eſt Imago, aliud Simulachrum.* Minus etiam dubitare poteſt, quin ea Theodoreti Interpres diſtinguere noluerit: Nam primùm hoc vocabulum *Simulachrum* è Latina ſcripturæ editione repetit, quæ ea manifeſtè diſcernit, neque vnquam vocem *Simulachrum*, niſi in malam partem, & ad falſorum Deorum Imagines ſignificandas ſumit. Deinde iam inde ab ipſo Pſalmi exordio declarat, ſe in Simulachri obiecto conditionem falſitatis, & alicuius non eſſe, vanamq́; Diuinitatis prę́ſuppoſitionem includere, his verbis: [b] *Diſcunt*, inquit, *quanta ſit differentia inter Simulachra quæ non ſunt, & Deum, qui eſt.* Tertio, in eodẽ verſiculo, de quo quæſtio eſt, proteſtatur, ſe per *Simulachra, Idola* intelligere: [c] *Idola*, inquit, *redarguit, dicens, Simulachra gentium argentum & aurum.* Jam verò, Theodoretum Imagines

atque

[a] *Synod. Pariſien. impr. Francof. in citatione Stepha. Boſtreni.*

[b] *Theodor. Latin. in initio pſalmi 103.*

[c] *Idem ibid.*

atq; Idola diſtinguere, plus ſatis probatum eſt. Poſtremò, vocem, *Simulachra* hacce reſtrictione, *huiuſmodi Imagines,* explicat. Vnde ſequitur eum Imaginem pro genere, ſimulachrum verò ꝓ vna iſtius generis ſpecierum habere, nempe pro Imaginibus Deificatis & ſub titulo Deorum conſecratis. Quo iure igitur Dominus du Pleſſis ad cauillandum in voce *Simulachra* admittatur, vt ſe purget, quod è textu Theodoreti, *Idola*, ſuſtulerit, quæ eſt ſpecies; eiq; *Imagines* ſubſtituerit, quod eſt genus; vt quod Theodoretus de falſorum Deorum Idolis dicit, idq; cum his clauſulis quas idē Dominus du Pleſſis ſubticet, *à gentibus culta,* &, *Qui tanquam Dÿ coluntur,* id ipſe ad Imagines Chriſti ſanctorumq; transferat?

Dominus Pleßius 3. edit. p. 63.

Inde Dominus du Pleſſis conuertit ſe ad facetias, & vt riſu Sardonio rideat, inquit: *Atqui aduerſus has auctoritates, quas Dominus Pleſſius allegare voluit, Dominus Ebroicenſis, in ſubſidium, Henrici Stephani Theſaurum appellabat;*

aſſo-

associare ei debuisset Cardinalis Senensis Calepinum. Jn quo, salua ipsius reuerentia, dissimulat, circa citationem, qua ipse Holcot & alios similes de fęce postremorum sæculorum scriptores laudauerat, factum, vt Episcopus Ebroicensis, quò ei talionem referret, &, vt aiunt, Geneuensi moneta satisfaceret, Petrum Martyrem & Henricum Stephanum eiusdem cum ipso farinæ homines, & nimio quàm Holcot Græcæ linguæ peritiores retorqueret, qui in Auctorum Ecclesiasticorum scriptis manifestum inter *Imaginem*, atque *Idolum* discrimen constituebant. Nam quoad Calepinum Cardinalis Senensis, meritò ille certè quidem conqueritur se ad eum ab Episcopo Ebroicensi non esse remissum, vt & Græcarum & Latinarum vocum significationem addisceret, in quibus se maiorem temporis partem admodum esse malè versatum ostendit: Vt cùm alium eiusdem Theodoreti locum citans inquit, [a] Eranisten significare contentiosum:

[a] *Dominus Pless. in opere de Euch. l. 4. c. 5. 1 ed. pag. 810.*

Qua in re prodit, neque se differentiam scire, quæ est inter ἐρίζειν, quod est contestari, & ἐρανίζειν, ἐν τῆς τῶν ἐράνων συνεισφορᾶς. [a] quod est ex pluribus symbolis collectam facere; neq; se vnquam Theodoreti scriptũ, quod allegat, legisse. Theodoretus enim iam inde ab ipso sui operis exordio declarat, se ideo collocutorem Hæreticum appellare *Eranisten*, (ἐκ πολλῶν γὰρ ἀνοσίων ἀνθρώπων ἐρανισάμενοι τὰ δύσηνα δόγματα.) [b] quod Eranistes hominem mendicum significet, & qui ex stipe hinc inde corrogata victitet. Et cùm [d] in sui libri pagina 356. & iterum pagina 395. *Samariten*, quod est nomen masculinum, vertit *Samaritanam*, conuertitq; hoc miraculoso solœcismo Leprosum Samaritanum, quem Dominus Lucæ 17. mundauit, in viduam Samaritanam, quam Dominus Ioannis 4. catechizauit: Quæ quidem ignorantiæ dignæ sunt non quæ ad Calepinum, sed ad ferulam remittantur. O Prisciane! Prisciane!

[a] *Basil. in 40. Mart.*

Greg. Naz. de Paschat. προσόδιον ἐρανιζόμενον. & alij.

[b] *Theod. in in præfa. in Dial.*

[d] *Idem Domin. Plesi. l. 3. c. 1. & 4. operis de Eucharist.*

Sed Thesauro Henrici Stephani, inquit Dominus du Plessis, *potiori ratione opponi potuisset vetus Glossarium, in quo hæc vocabula, Simulachrum, ἀπεικόνισμα, εἴδωλον, ξόανον, pro eadem re accipiuntur.* Quasi verò oppositæ propositiones sint, dicere Ethnicos, ad quorum stylum se vetus Glossarium accomodat, *Idolum*, & *Imaginem* cõfudisse; & dicere Autores Ecclesiasticos, de quibus loquitur Henricus Stephanus, eadẽ distinxisse. Sed tamen cõtendo, tametsi Ethnici has duas voces, *Imago*, & *Idolum*, quoad vim etymi æquarent; quoad vim vsus tamen & loquendi consuetudinem, discrimen eos aliquod obseruasse. Etenim quando loqui propriè volebant, nomen *Idoli* restringebant ad falsas Imagines significandas, hoc est, tales, quæ obiectũ aliquod non subsistens repræsentabant, vel quæ seipsas loco obiecti, quod repræsentabant, supponebant, offerebantque se non pro Imaginibus rerum, sed pro rebus ipsis, veluti spectra, phantasmata & fascina,

Dominus du Plessis 3. edit. p. 63.

cina, quæ oculis animisq; spectatorum imponebant; & veluti laruæ ac personæ, quæ se pro veris eorum vultibus venditabant, quos referebant: & veluti figmenta falsæq; personæ Tragœdiarum, quæ in Theatro pro veris viuentibus animatisque personis apparebant. Hoc sensu [a] Homerus vmbras atque phantasmata mortuorum appellauit *Idola*. Hoc sensu idē (εἴδωλον τεῦξ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων.) [b] figmentum, quod in locum Æneæ Apollo substituit, *Idolum* vocat. Hoc sensu [c] simulachrum, quod Penelopæ instar sororis ipsius Pallas misit, *Idolum* nominat. Hoc sensu [d] Euripides Troianam Helenam, quam ipse non fuisse veram Helenam præsupponit, sed figmentum atque animatum simulachrum, quod in locum veræ Helenæ Iuno formauerat, *Idolum* appellat. Hoc sensu Plato inquit quosdam esse, (ψεῦδη καὶ εἴδωλα περὶ πλείονος ποιούμενοι τοῦ ἀληθοῦς.)[e] *qui veritati mendacium atque idola præferant.* Hoc eodem sensu ipsummet vetus Glos-

[a] *Hō. Odyss.* λ. βροτῶν εἴδωλα καμόντων

[b] *Idē Iliad.* ε

[c] *Idē Odyss.* δ. εἴδωλον ποίησε, &c.

[d] *Eurip in Helenam.* ἀλλ' ὁμοιώσασ' ἐμοὶ εἴδωλον ἔμπνουν.

[e] *Plato in Theat.*

Gloſſariũ Latinum vocabulũ, a *Larua*, vertit, δαιμόνιον, εἴδωλον. Cui nihil obſtat, q̃ ei Dñs du Pleſſis attribuit, illud videlicet, vocẽ, *Simulachrũ*, hiſce tribus nominibus exprimere, *imago, idolum, ſtatua*: Eſt enim ei ſolenne idẽ Latinum vocabulum pluribus Græcis ſignificatione admodum inæqualibus exponere: vt quando vertit, *Buſtum*, τάφος, μνῆμα, πυρά: *Res*, πρᾶγμα, γένος, εἶδος: *Pecus*, ποίμνιον, πρόβατον, βόσκημα, κτῆνος, βρέφος: *Sexus*, φύσις, γονὴ, ὁμοιότης, γένος: *Linea*, γραμμὴ, στρὰ, ὁρμιὰ, διαβήτης, μέτρον: *Obtrectatio*, ζηλοτυπία, λοιδορία, διαβολὴ, κακοθέλεια: *Odor*, βρόμος, ὀδμή: *Oſculum*, φίλημα, εὐσέβεια: *Senſus*, αἴσθησις, νοῦς: *Commentum*, ἐνθύμημα, σόφισμα: *Dominatio*, τυραννὶς, δεσποτ... ώη: *Crimen*, ἔγκλημα, διαβολή: *Superſtitio*, θρησκεία, δεισιδαιμονία: *Mentio*, ἀνάμνησις, καὶ ψεῦμα: *Coniectura*, στοχασμὸς, ζημία: *Ros*, δρόσος, φλοῖος: *Latex*, βότρυς, νᾶμα: *Heres*, quem confundit cum Hero, κύριος, κληρονόμος. & alia huiuſmodi infinita. Quã ob cauſſam ipſemet Henricus Stephanus,

Gloſſar. Veter.

Idem.

Henr. Steph. in præf. gloſſar. Veteris.

phanus, qui eum typis mandauit, admonitionem hanc præpósuit, quam Dominus du Plessis antè legere debuisset, quam illud pro extremo suo oraculo deligere.

E Gallico reddita, cũ citatus auctor non esset in promptu.

Sunt, inquit, *alia censura multo digniora, quæ nolo dissimulare, in primis vbi vnico verbo Latino diuersæ significationes attribuuntur. Persæpe enim idem vocabulum Latinum duabus Græcis vocibus admodum diuersis doctè & aptè exponitur, & quidem in nonnullis, veteri significatione conseruata: vt cùm, Supplicijs, vertit,* κολάσεσιν, *&,* ἱκεσίαις, *&c. In alijs tamen negari non potest errorem accidisse, siue is auctori, siue cuipiam alteri, qui, quæ iste distinxerat, confudit, adscribi debeat: vt cùm, Facundus, vertit,* εὔγλωττος, *&,* γόνιμος, *id confundens cum, Fæcundus: Cohibet,* καταμύει, *&* συνέχει, *confundens cum, Conniuet: Ceremonia,* δημητρεία, *&,* μέμψις, *confundens cum, Querimonia: Bilis,* χολὴ μέλαινα, *&,* εὐτελής, *confundens cum, Vilis, &c. Imò nonnunquam Latino verbo reddit vnicum Græcum, idq; malè: vt Exhortor,* ἀποτρέπω: *nonnunquam plura, &*

quidem

quidem falsa significatione primo loco posita: vt, Procul, ἐγγὺς, καὶ μακρὰν, καὶ πόρρωθεν.

Sed esto: demus & intentionem & auctoritatem veteris Glossarij omnino talem esse, qualem Dominus du Plessis exoptare posset; quid præiudicij potest confusio sermonis Ethnicorum adferre contra styli auctorum Ecclesiasticorum distinctionem? Glossarium vetus confundit substantiam, essentiam & hypostasin: Habet enim sic; *Substantia*, οὐσία, ὑπόστασις: An ideo licebit, quando Patres in Deo tres esse dicunt hypostases, aut in Christo duas essentias, ex eorum scriptis vocem *hypostases*, tollere, eiq; vocabulum, essentias, substituere: ac dicere tres esse in Deo essentias, & duas in Christo hypostases? Confundit, Synodum, Ecclesiam, Cœtum, Synagogam: An ideo licebit, quando Patres vllam negant esse extra Ecclesiam salutem; tollere vocabulum *Ecclesiam*, eiq; *Synagogam* substituere: ac negare vllam esse extra Synagogam salu-

Gloss. vet.

Conuentus, ἐκκλησία. *Cœtus*, σύνοδος, συναγωγή, συνέλευσις.

ſalutem ? aut vice verſa, quando Patres dicunt Synagogam eſſe repudiatam; Chriſtum Dominum ei maledixiſſe; eam Iudæ eſſe coniugem; ex eorum ſcriptis *Synagogam* tollere, atq; in eius locum *Eccleſiam* reponere; ac dicere, Eccleſiam eſſe à Deo repudiatam, Chriſtum ei maledixiſſe, eam Iudæ eſſe coniugem: Confundit hęc, *Paſtor*, νομεὺς, ποιμὴν, βοσκὸς, ἐπίσκοπος: An ideo licebit dicere, omnes Paſtores eſſe Epiſcopos, atque abſque vllo alio titulo, Ordines conferre, verbũ Dei annunciare, & ſacramenta adminiſtrare poſſe ? Iam antè dictum eſt, ſuum quamlibet habere ſcientiã, ac præ cæteris Theologiam, peculiarem verborum vſum, quem pueriliter & tironum more ad generalia Grammaticę pręcepta reuocare velle, quid foret aliud, quàm Profeſſionum repagula perfringere, atq; omne diſciplinarum genus confundere? Dominus du Pleſſis in ſuo Dictionario reperiet, *Angelum* ſignificare nuntium; ergo nuntij omnes Pictauienſes & Ande-

Andegauenſes Angeli erunt? Reperiet *Apoſtolum* ſignificare miſſum: ergo Accenſi omnes, qui à Magiſtratu mittuntur, erunt Apoſtoli? Reperiet *Martyrem* ſignificare Teſtem: ergo teſtes omnes Samurienſes erunt Martyres? Reperiet *Hæreſin* ſignificare electionem: ergo quælibet Religio, vt Theologicè loquare, erit Hæreſis? Reperiet *Ethnos* ſignificare nationẽ; ergo omnes populi Chriſtiani erunt Ethnici? Reperiet *Diabolum* ſignificare calumniatorem: ergo omnes calumniatores erunt Diaboli? Inueniet *Paganum* ſignificare Ruſticum: ergo omnes Ruſtici erunt Pagani? Verba ſunt, non ſecus ac pecunia, ex inſtituto hominum, & nõ ex natura: Vnde fit, vt ea perinde & pretium & valorem mutẽt, quemadmodum homines eorum vſum reſtringunt, extẽdunt & detorquent.

Atque ideo vnumquodque vocabulum eo ſenſu accipiendum eſt, quo in ea profeſſione & eo tempore, quo qui illud adhibet, vſitatur. Itaque pro

veteri Glossario Domini du Plessis, qui scriptorum seruat profanorum loquendi morem Episcopus Ebroicensis aciem ei testium opponet, qui iuxta Theologiæ stylum & auctorum Ecclesiasticorum loquuntur. Et vt ab ipsius gregalibus incipiat, opponet ei Henricum Stephanum iam antè laudatum, qui in Thesauro linguæ Græcæ sic habet: [a] *Apud Ecclesiasticos scriptores, εἴδωλα peculiari significatione vocantur, simulachra numen aliquod repræsentantia.* Opponit ei Bezam qui in priorem ad Corinthios inquit, [b] *Sed hoc in loco & alijs plerisq; peculiariter Idola vocantur Simulachra ad numen aliquod repræsentandum.* Opponet ei Petrum Martyrem, qui in Tractatu de Idololatria ait, [c] *Idolum, vt nunc loquimur,* (id est, eo sensu quo loquuntur homines, quādo de Idololatria sermo est,) *est omnis forma, seu species, quam sibi homines, vt referatur, ac exprimatur numen, adinuenerunt:* Et in comentario in priorem Corinthiacam, [d] ἀπὸ τοῦ εἴδους *fit* εἴδωλον *per diminutionem, ac si diceres, formulam,*

[a] *Henr. Stepha. in thes. ling. Græc.*

[b] *Theodor. Bez. in 1. Corinth. c. 8.*

[c] *Pet. Mart. in locis communib.*

[d] *Idem in 1. Corinth. c. 8*

mulam, ad numen siue Deum exprimendum. Opponet ei Caluinum, qui in eandem Epistolam sic scribit, [a] *Nihil est Idolum, quia à re figurata æstimari debet. Porrò in hunc finem destinatur, vt Deū repræsentet: imò vt repræsentet falsos Deos, cùm vnus sit Deus inuisibilis & incomprehensus:* Et paullo pòst; [b] *Ideo Habacuc Idola vocat ostensiones falsitatis, quòd Dei figuram vel imaginem præ se ferendo mentiantur.* Opponet ei Zuinglium, qui dicit; [c] *Is cui Idolum ponitur, puta Deus alienus, aut numen, nihil est; vnus enim Deus est.* Opponet ei ipsamet Geneuensia Biblia, [d] quæ in hoc eodem Psalmi 113. versu, pro *Idolis* vertunt *falsos Deos:* Et Caluinum, qui eundem, explicat hisce verbis; [e] *Deridet fallaces eorum Deos, primùm Idola vocans, hoc est, res nihili.* Opponet ei deinde, vt pugnæ genus mutetur, Lyranum Glossæ ordinariæ postillatorem, qui in priorem ad Corinthios ait, [f] *Materia Idoli est aliqua res, vtpote aurum, argentum, lapis, vel lignum: sed propria ratio Idoli est, quòd sit repræsentatiuum Dei; repræsen-*

[a] Caluin. in 1. Cor c. 8.
[b] Idem paullo pòst.
[c] Zuingl. in 1. Cor. c. 8.
[d] Biblia Geneuēs. anno 1588. psalm. 115.
[e] Caluin. in ps. Heb. 115.
[f] Lyran. in cap. 8. 1. Cor.

præsentat autem falsum Deum; & sic Idolum nihil est. Opponet ei Græcum auctorem Moschopulum, qui in Tractatu *de Idolo* Basileæ ante opera Græca Euripidis Græcè edito inquit; *τὸ δὲ ὄνομα τοῦτο, ὁ Χριστιανῶν ἐμυσάχθη, θεσμὸς, ὅτι δὴ τοῖς ἑλληνικοῖς θεοῖς ἐπεφημίσθη εἴκασμα.*[a] *Hoc autem verbi (Idolum) Christianorum lex repudiauit, eo quod ad imaginem Deorum Gentilium exprimendam celebratum fuerit.* Opponet ei Suidam, qui sic habet; *εἴδωλον, σκιῶδες ὁμοίωμα, ἢ φαντασία σώματος, σκιά τις ἀνθρωποειδὴς, &c. δεῖ οὖν νοεῖν, ὡς φαντασίαν σωμάτων παρέχουσι τοῖς ὁρῶσιν, οὐ μὴν καὶ ὑπόστασιν ἀληθῆ.*[b] *εἴδωλον, umbratica similitudo, vel apparentia corporis, vmbra quædã ætheriformis, &c. oportet igitur intelligere Idola præbere aspiciẽtibus corporũ apparentiã, nõ veram subsistentiam.* Idem paullò post: *καὶ ἡ γραφὴ λέγει, οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, οὔτε πᾶν ὁμοίωμα: ὡς διαφορᾶς οὔσης μεταξὺ εἰδώλου καὶ ὁμοιώματος: εἴδωλα μὲν γὰρ τὰ τῶν οὐχ ὑφεστώτων μιμήματα. Scriptura inquit, Nõ facies tibi Idolũ, neq; omnem similitudinem, velut existente inter Idolum &* *simi-*

[a] *Moschopulus in tract. de Idolo.*

[b] *Suidas.*

similitudinem discrimine. Idola enim sunt ipsa eorum, quæ non subsistũt, imitamenta. Idem paullo pòst: Σοφοκλῆς, ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς ὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν εἴδωλα, αὐτὶ τῶ ἀπεικάσματα ἀνυπάρκτων αἰνυπαρκτότερα. *Sophocles: Video enim vos nihil existentes aliud præter Idola; pro hoc ipso, Effigies rebus non subsistentibus minus subsistentes.* Opponet ei Strabum Glossæ ordinariæ auctorem; qui abhinc septingentos sexaginta annos scribebat, [a] *Æstimabant Idolum esse personam subsistentem ex simulachro, & spiritu præsidente.* Opponet ei vniuersale Concilium Nicęnum secundum, abhinc octingentis & quindecim annis habitum, quod in prima, quarta, quinta, & septima sessione, τοῖς ἀποκαλοῦσι τὰς ἱερὰς εἰκόνας εἴδωλα ἀνάθεμα. [b] *In eos, qui sacras Imagines Idola appellant, anathema* pronunciat. Opponet ei adulterinam Synodum Francofurtensem, quæ aliter, Opus Caroli Magni, inscribitur, quæ tametsi Catholicis recusabilis sit, cũ eam pro supposita, licet ab aliquo eiusdem sæculi scriptore, habeant; à Domi-

[a] Strabus auctor gloss. ordin. in 1. Cor. c. 8.

[b] Conc. Nic. 2. Act. 1. 4. 5. & 7.

Domino tamen du Plessis, atque ipsius partis hominibus recusari non potest, cùm eam ipsi pro vero Francofurtensi Concilio, ac genuino Caroli Magni opere exponant atq; producant; quæ de Iconoclastis loquens sic habet: [a] *Gesta est ante hos annos in Bithiniæ partibus quædam Synodus tam incautæ, tamque indiscretæ procacitatis, vt Imagines in ornamentis Ecclesiæ, & memoriâ rerum gestarum ab antiquis positas; incauta abderent abdicatione: quodq; Dominus de Idolis præcepit, hoc illi de cunctis imaginibus perpetrarent, nescientes Imaginem esse genus, Idolum verò speciem: & speciem ad genus, genus ad speciem referri non posse: Nam cùm penè omne Idolum Imago sit, non omnis Imago Idolum.* Et paullo pòst: *Imago ad aliquid, Idolum ad seipsum dicitur.* Hoc est, Idolum non simpliciter præ se fert, se esse Imaginem rei quam repræsentat, sed esse rem ipsam. Opponet ei S. Damascenum, qui abhinc amplius nongentos annos dixit; εἰπόντες περὶ τῆς διαφορᾶς τῶν εἰδώλων, καὶ τῶν εἰκόνων, &c. [b] *Postquam de differentia quæ est*

[a] Opus Caroli Magni in præfat.

[b] Damasce. de Imaginibus lib. 3.

est inter Idola atque Imagines diximus, &c. Opponet ei S. Leõtium Episcopum Neapolitanum in Cypro, qui abhinc amplius mille annis contra Iudæos scribebat: πῶς λέγεις εἴδωλα ταῦτα, ὦ ἀνόητε; τὰ γὰρ εἴδωλα, τῶν ψευδωνύμων, τῶν μοιχῶν καὶ φονευτῶν, &c. ὁμοιώματα εἰσί.[a] *Quomodo, ô stulte! Imagines Martyrum Idola vocas? Idola enim eorum, qui falsi sunt Dij, & adulteri, & homicidæ, & filiorum immolatores, & effœminati, &c. effigiem & similitudinem repræsentant.* Opponet ei Stephanum Bostransem Episcopum, à S. Damasceno, & à Cõcilio Nicæno altero laudatum, quin & à suamet ipsius Parisiensi Synodo, qui ab hinc mille & centum annos scribebat: (ἄλλο γάρ ἐστιν εἰκών, καὶ ἄλλο ἄγαλμα.) [b] *Aliud est Imago, & aliud* ἄγαλμα, ἄγαλμα illic & ζώδιον pro *Idolo* adhibens. Et iterùm: περὶ δὲ εἰκόνων θαῤῥοῦμεν, ὅτι πᾶν ἔργον γινόμενον ἐν ὀνόματι θεοῦ, καλὸν καὶ ἅγιον ἐστί: περὶ δὲ εἰδώλων καὶ ἀγαλμάτων, ἄπαγε &c. ἕτερον γάρ ἐστιν εἰκὼν ἁγίου προφήτου, καὶ ἕτερον ἄγαλμα, ἢ ξόανον κρόνου, καὶ ἀφροδίτης. [c] *Quantum ad Imagi-*

[a] Leontius Episcop. l. 5. contra Iud. apud Damasc. l. 3. de Imag. & in Concil. Nicæ. 2. Act. 4.

[b] Stephanus Episcop. Bostren. contr. Iudæos, citatus in Cõcil. Nicæn. 2. Act. 2. & in Synodo Paris. pag. 95.

[c] Idem apud Damasc. l. 3. de Imag.

Imagines pertinet, omnia quæ Dei nomine fiunt, præclara ſanctaq́ eſſe audacter dicimus. Ab Idolis autem & ſimulachris, περὶ εἰδώλων καὶ ἀγαλμάτων; abhorremus. &c. Aliud eſt enim imago Sancti Prophetæ, aliud effigies & ſtatua Saturni & Veneris. Et paullo pòſt: οὐκ ἦσαν τὰ χερουβὶμ χειροποιητὰ, εἰκόνες ἀγγέλων; τί λέγεις εἰ εἴδωλα ἀποκαλεῖς αὐτὰ, τί λέγεις τῷ Μωϋσῇ προσκυνήσαντι, καὶ τῷ Ισραήλ; *Quid ais, Iudæe? Si Cherubim, quæ Angelorum imaginem referunt, Idola appellas, quod Moſi, & Iſraëli ea adorantibus nomen impones?* Opponet ei Gloſſarium vetus, non Latino-Græcum, ſed Græco-Latinũ, quod quidam S. Cyrillo adſcripſerũt; qui vertit, [a] εἰκὼν, *Imago*; &, εἴδωλον, *Simulachrum, Larua.* Opponet ei ipſummet Cyrillum, qui contra Iulianum Apoſtatam inquit: [b] *Igitur negantes omnino Idola exiſtentia, &c.* Opponet ei S. Auguſtinum, qui proteſtatur; [c] *Non facies tibi Idolum, quod factũ non poteſt aliquando iuſtum eſſe:* Et contra Fauſtum clamat: [d] *Nunquid non obſeruant Chriſtiani, quod in illa ſcriptura eſt, Audi*

[a] *Gloſ. vetus Græcolatin. in vocibus.* εἰκὼν & εἴδωλον.

[b] *Cyr. contr. Iulian. l. 7.*

[c] *Auguſt. in Leuit. q. 68.*

[d] *Idem l. 19. contr. Fauſtum, c. 18.*

eſt, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus vnus eſt; Non facies tibi Idolum? Et nihilominus in eodem opere negat Fauſtum ignorare debuiſſe hiſtoriam ſacrificij Abraham, eo quod paſſim depicta extaret; [a] *Niſi*, inquit, *fortè non ei veniret in mentem factum ita nobile, vt non lectum nec quæſitum animo occurreret, vt denique tot linguis cantatum, tot locis pictum, & aures & oculos diſſimulantes feriret.* Opponet ei S. Hieronymum, qui ait; [b] *Haud dubium, quin Idola ſignificet: Si enim Deus veritas, quidquid contrarium veritati eſt, mendaciū eſt, & nihil nominatur.* Opponet ei S. Chryſoſt. qui ait; εἴδωλα, &c. οὐδὲ θεός εἰσιν, ἀλλὰ λίθοι, καὶ δαίμονες. [c] *Idola, &c. neque Dij ſunt, ſed lapides atq; Dæmones.* Opponet ei S.Greg. Nazianz. qui ſcribit ὥσπερ οἱ τοῖς βρώμασι καταμιγνύντες τὰ δηλητήρια, μίξαι ταῖς ἐξ ἔθους τῶν βασιλέων τιμαῖς τὴν ἀσέβειαν, καὶ εἰς ἓν ἀγαγεῖν νόμους ῥωμαίων, καὶ εἰδώλων προσκύνησιν, καὶ διὰ τοῦτο ταῖς εἰκόσι, συμπαραγράφων τοὺς δαίμονας, ὡς δή τινας ἄλλας τῶν ἐξ ἔθους γραφάς; προὐτίθει δήμοις καὶ πόλεσι, καὶ μάλιστα τοῖς τῶν ἐθνῶν

[a] Idem l. 22. cont. Fauſt. cap. 73.

[b] Hieron. in Oſe. c. 7. ſuper hæc verba, Hi qui non ſunt.

[c] Chryſoſt. in 1. Cor. c. 8.

ἄρχουσι, τὰς εἰκόνας. ὡς κακοῦ γε τοῦ πάντας μὴ εἶναι διαμαρτεῖν, ἀλλ' ἢ τῇ τῶν βασιλέων τιμῇ τὴν τῶν εἰδώλων συμφέρεσθαι, ἢ τῇ τούτων φυγῇ τοὺς βασιλέας ὑβρίζεσθαι, μικτῆς οὔσης τῆς προσκυνήσεως. a Iulianum Apoſtatã figuras Dæmonum cum Imperatorũ Imaginibus veluti venenum cum cibis miſcuiſſe, vt Idola vnà cum Imaginibus adorarentur. Opponet ei Euſebium, νόμῳ δ' ἀπεῖργεν εἰκόνας αὐτοῦ εἰδώλων ἐν ναοῖς ἀνατίθεσθαι. b Qui Conſtantinum dicit vetuiſſe, ne ſuæ Imagines in Idolorum Templis collocarentur. Ipſammet ei ſcripturam opponet, quæ ait, *idolum nihil eſt*, id eſt, vt interpretantur Zuinglius, Caluinus, Petrus Martyr, & Beza; nihil repræſentat: Quæ Idola indigitat, *Nihilitates, mendacia, falſas imagines*, *nullitates*. c *E L I L*, inquit Caluinus) *ſignificat rem nihili apud Hebræos, vnde etiam Elilim vocant Idola.* Et Petrus Martyr, *Idola* d *ab Hebræis dicũtur Elilim, vanitates, mendacia, & res inanes.* Quæ Cherubinorum, boum, leonum, palmarum, atque aliarum Templi figurarum effigies,

a *Greg. Nazian. in Iul. orat. 1.*

b *Euſeb. in vita Conſtant. l. 4.*

c *Caluin. in Zachar. c. 11.*

d *Petr. Martyr in 1 Corinth. c. 8.*

figies, *Similitudines* vocat: Quæ hominem, *Dei Imaginem*, appellat, & Christum, *Imaginem Patris*: & è contrario vocem *Idolum*, neque propriè neque metaphoricè, in bonam partem vnquam vsurpat; neque Cherubinos vnquam *Idola* nominat, neque hominem *Idolum Dei*, neque Christum *Idolum Patris*. Et tandem, vt per eum disputatio concludatur, qui eius principium & origo est, opponet ei Theodoretum, de quo vno hoc loco quæstio est, qui sic scribit; εἴδωλων καὶ ὁμοίωμα ποίαν ἔχει διαφορὰν; τὸ εἴδωλον οὐδεμίαν ὑπόστασιν ἔχει, τὸ δὲ ὁμοίωμα τινός ἐστιν ἴνδαλμα καὶ ἀπείκασμα. [a] *Quid differunt Idolum & Similitudo? Idolum nihil repræsentat, quod subsistat; similitudo verò est alicuius imago & effigies*: Qui in ipso Decalogi textu nomẽ *Idoli*, vertit per nomen *Dei*; & inquit, [b] *Admonui nequem alium à me Deum cognosceres: nam dixi, Ne feceris tibi Deum, aut vllius rei similitudinem, quæ est in cælo &c.* Qui Idola titulo *Patrum mendacij* afficit; *Plures* [c] *pastores, appellauit ipsa Idola: Quo*

[a] Theodo. in Exod. q. 38.

[b] Idem in Osee c. 13.

[c] Idem in Hierem. c. 3.

la: Quo enim modo patres mendacij, suffurantes denominationem Diuinam, vocitabantur Dij: ita subrepto pastoris veri nomine, pastores sunt appellati. Qui in eodem psalmo, quo de agitur, Idola opponit, vt ea quæ non sunt, ei qui est: *Discant*, [a] inquit, *quanta sit differentia inter simulachra*, (Græcè εἴδωλα) *quæ non sunt*, & *Deum*, *qui est.* Et breuiter, qui [b] maledictionem pronunciat, nõ solum in eos, qui adorant Idola, sed etiam in illos, qui ea faciunt; Contrà verò (εἰκόνας αὐτοῦ βραχείας ἀναστῆσαι, φυλακήν τινα σφίσιν αὐτοῖς καὶ ἀσφάλειαν ἐντεῦθεν πορίζοντας.) [c] in eos qui S. Simeoni Stelitæ Imagines faciebant, benedictionem profert & auguratur. Atque hæc de priore obiectionis parte dicta sint, nimirum de *Imaginum* in locum *Idolorum* suppositione.

Sequitur paullo pòst in Domino Plessio; [d] *Quòd hac etiam de caussa Synodus Parisiensis* (sic appellat ille libellũ quẽdam exiguum, quem ipsi abhinc annos quinque in Germania euulgarunt) *anno DCCCXXVIII. habitum non*

[a] *Idem in psalm. 113.*

[b] *Idem ibid.*

[c] *Idem in Vita S. Simeonis Stelitæ.*

[d] *Dominus du Plessis 3. edit. p. 64.*

non dubitauerit aduerſus Chriſtianorum Imagines tam hunc ipſum pſalmum 113. quã S. Auguſtini in hunc pſalmum commentariũ allegare. Profectò huius Synodi *ad honores* ſiue auctor, ſiue ſecretarius, ſat multum aliàs ineptiarum committit: vt cùm id, quod S. Auguſtinus aduerſus Philoſophicas Democriti & Epicuri Imagines ſcribit; id eſt, aduerſus ſpecies ſenſibiles & intelligibiles, quarum influxione fieri docebant ſenſationem & intellectionem, ipſe aduerſus Imaginum adorationem citat: Et quo nihil ineptius fieri poteſt, cùm ſibi ſumſiſſet oſtendere, neque abolendas, neque adorandas eſſe Imagines, vt eas probet non eſſe abolendas, adducit hoc S. Baſilij teſtimonium, quod alteram ipſius theſin iugulat; [a] *Item S. Baſilij in epiſtola ad Iulianum Imperatorem miſſa;* δέχομαι δὲ καὶ τοὺς ἁγίους ἀποστόλους, προφήτας τε καὶ μάρτυρας, &c. καὶ τὰς ἱστορίας τῶν εἰκόνων αὐτῶν τιμῶ, καὶ προσκυνῶ φανερῶς. *ſuſcipio verò & ſanctos Apoſtolos, Prophetas, & Martyres, &c. Et figuras Imaginum*

[a] *Synod. Pariſ. fol. 92. Citatur Græcè in 2. Synod. Nic. et apud Theodorũ Studitem, & Theod. Graptem ſic:*

eorum honoro & adoro: Et hoc S. Athanasij respondentis Antiocho; Ἐρώτησις λθ. Διὰ τί προσκυνοῦμεν εἰκόνας; &c. Ἀπόκρισις. οὐχ ὡς θεοὺς προσκυνοῦμεν τὰς εἰκόνας οἱ πιστοὶ, μὴ γένοιτο, ὥσπερ οἱ ἕλληνες, ἀλλὰ τὴν σχέσιν μόνον, καὶ τὸν πόθον τῆς ἡμῶν ἀγάπης, πρὸς τὸν χαρακτῆρα τοῦ προσώπου τῆς εἰκόνος ἐμφανίζοντες. [a] *Item S. Athanasij: Interrogatio Antiochi, &c. Quare ergo vos facitis Imagines, & adoratis eas? Responsio Athanasij: Non vt Deos imagines adoramus nos fideles, sicut pagani, absit: Sed tantummodo affectu & charitatis nostræ animæ ad vultum faciei imagines apparentes.* Et hoc Stephani Episcopi Bostrani in libro quem pro defensione Imaginũ Ecclesiæ contra Iudæos abhinc mille centum annos scripsit; ἀλλὰ λέγεις ὅτι αὐτὸς ὁ θεὸς προσκυνεῖσθαι χειροποίητα ἀπηγόρευσεν. εἰπὲ, ὦ ἰουδαῖε, τί ἐστι τὸ ἐπάνω τῆς γῆς μὴ ὂν χειροποίητον μετὰ τὸ ποιηθῆναι ὑπὸ τοῦ θεοῦ; τί λοιπὸν ἡ κιβωτὸς τοῦ θεοῦ, ἡ ἐκ τῶν ξύλων σεθὶμ κληθεῖσα καὶ κατασκευασθεῖσα οὐκ ἐστὶ χειροποίητος; [b] *Item S. Stephani Episc. Bostrani, ad quosdam de Imaginibus Sanctorum: Sed dices, quia ipse*

[a] *Ibid. p. 94. Græcè sic, apud Damascen. & in Biblioth. Regia, & nuper in impressione S. Athanasij Heidelberg.*

[b] *Ibid. p. 95. Græcè sic in Synod. Nican. 2. Act. 2.*

Deus

Deus præcepit, & non adorare nos manufactos. Dic itaque, ô Iudæe, quale ſuper terram non eſt manufactum poſt facturam Dei? quid ergo? arca Dei, quæ ex lignis Sethim fabricata eſt, atque conſtructa, non fuit manufacta? Et hoc S. Leontij Cypri Epiſcopi, de eodem argumento abhinc mille annos ſcriptum: (*ὥσπερ σὺ προσκυνῶν τὸ βιβλίον τοῦ νόμου, οὐ τὴν φύσιν τῶν δερμάτων καὶ τοῦ μέλανος προσκυνεῖς, ἀλλὰ τοὺς λόγους τοῦ θεοῦ τοὺς ἐγκειμένους ἐν αὐτῷ, οὕτως κἀγὼ τῇ εἰκόνι τοῦ Χριστοῦ προσκυνῶ, οὐ τῇ φύσει τοῦ ξύλου καὶ τῶν χρωμάτων, μὴ γένοιτο, ἀλλ' ἀψύχῳ χαρακτῆρι Χριστοῦ προσκυνῶν, δι' αὐτοῦ, αὐτὸν Χριστὸν δοκῶ κρατεῖν καὶ προσκυνεῖν.*) [a] *Sicut tu adorans librum legis, non naturam pellium & atramenti adoras, ſed verba Dei, quæ in eo continentur: Sic & ego Imaginem Chriſti adorans, non naturam lignorum, aut colorum adoro, abſit; ſed inanimatam figuram Chriſti tenens, per eam Chriſtum ſpero tenere & adorare.* Sed tamen non facit id, quod Dominus du Pleſſis ei imponit: Non, inquam, allegat verba vel Pſalmi, vel S. Auguſtini in argumento, in quo ex

[a] *Ibid. p. 102. Leontij Episc. Neapol. Cypri in 5. sermone, de Imaginib. Sanctorum aduersus Iudæos. Græcè sic apud Damasc. lib. 3. de Imag. Et in Concil. Nicæn. 2. Act. 2.*

proposito & formaliter de Imaginibus agatur, sed in eo, vbi de vasis sacris agitur, quibus Imagines æquatæ fuerant. Concilium enim Nicænum secundum, vt Imaginum adorationẽ, id est, venerationem tutaretur, inter alia, etiam Sacrorum vasorum exemplum protulerat, quę Christiani adorare, id est; venerari consueuerant. Iam hæc putatitia Synodus quemadmodum nomen adorationis non eodem sensu, quo Concilium, nimirum pro simplici adoratione honoraria; sed pro cultu Latriæ vsurpabat: Sic etiam in eo non conueniebat, vt vasa sacra adorari possent. Vt igitur hanc hypothesin impugnaret, ostenderetque, hærens in ambiguo verbi *Adorare*, vasa sacra non esse adoranda, neq; consequenter, eorum exemplo Imagines; locum illum à Domino du Plessis citatum allegat, vbi D. Augustinus inter alia, de sacris vasis loquẽs, ait; [a] *Nunquid eis* (*vasis sacris*) *supplicamus* (id est, ex veteri latini sermonis vsu, [b] *sacrificamus*) *quia per ea supplicamus*

[a] *Augustin. in psal. 113. apud. Syno. Paris. p. 67.*
[b] *Plin. l. 13. Supplicare thure, pro, sacrificare thure Scaliger ex Festo, supplicia, i. sacrificia.*

mus Deo? Jam quid hoc ad nodum quæstionis facit? Nam de cætero disputare, vtrum hoc scriptum verè sit ipsa Synodus Parisiensis sub Ludouico Pio celebrata, an verò quippiam à Germanis suarum cum Ecclesia seu veterum seu nouarum cōtentionum tempore cusum atque suppositum, non est nunc mei instituti. Scribit quidem auctor sæculi Ludouici Pij Valafridus Strabo, de Imaginibus loquens: [a] *Huius rei quæstio, apud Græcos sæpe tantas contentiones excitauit, vt sub Gregorio Papa iuniore, Constantinus Imperator* (Iconoclastam intelligit, quem Græci per contemptum, Copronymum vocant) *apud Constantinopolim omnes Imagines deposuerit: Et sub Gregorio tertio Romæ Synodus sit facta contra supradictam, vt dixerunt, hæresin: in qua firmatum est, vt Sanctorum imagines secundum priscum Catholicæ Ecclesiæ ritum, restituerentur. Ipsa denique querela Græcorum,* (id est, Iconoclastarum) *temporibus bonæ memoriæ Ludouici Imperatoris, in Franciam perlata eiusdem*

[a] *Valafrid. Strabo de reb. Eccles. cap. 8.*

Principis prouidentia ſcriptis Synodalibus eſt confutata. Et Theophylactus eiuſdem ſæculi ſcriptor videtur vlteriùs etiam progredi: proteſtatur enim impoſturam fuiſſe, ab Occidentalibus dicere Imaginum adorationẽ reijci: μὴ γὰρ δὴ παραδεξαίμεθα τὴν σατανικὴν ἐκείνην συκοφαντίαν, ὡς ἄρα Λατίνοις οὐ παραδεκτέα ἡ τῶν εἰκόνων προσκύνησις. *Non* [a] *enim certè reciperemus Satanicam illam Sycophantiam, quaſi Latinis recipienda non ſit Imaginum adoratio.* Sed nihil hoc modò ad meum propoſitum attinet. Satis eſt, tantum abeſſe, vt hæc putatitia Synodus Chriſtianorũ Imagines deſtruat, vt eos, q̃ illas deſtruũt, apertè condemnet. [b] *Vide,* inquit, *ne hæc audiens putes temeritati tuæ licentiam dari, vt vbicunq; nõ propter inlicitũ cultũ, ſed propter diſcretũ, & ob hoc propter licitũ mẽtis affectum, pictas vel fictas ſimilitudines ſanctorum videris, vt illas aut deſtruas, aut inridẽdo ſubſannare debeas.* Et quamuis earum vituperet adorationem, vti & nos, cùm *adorationis* nomine cultus Latriæ intelligitur, quem cultum Icono-

[a] *Theophil. apud Demetrium Chomatenum in iure Canonico Græcorum impreſſ. Heidelberg. l. 1. reſponſorũ, cap 2.*

[b] *Synodus Pariſ. p. 85.*

cono-

noclastæ Patribus Concilij Nicæni falsò imponebant Imaginibus detulisse: tamen, quantumcunque excedat in vno extremo per alterum extremum corrigendo, non omne ijs reuerentiæ genus adimit. Nam cùm Tyranni istius Agareni historiam repetit, qui in Oriente Imagines demoliri cœpit, [a] *eo mortuo dicit Imagines in pristinum statum cum honore esse restitutas.* Et cum modum præscribit, qui in Imaginibus obseruari debet, in huius mediocritatis exemplum, D. Gregorium Magnum laudat, eiusq; allegat tum epistolam ad Serenum, in qua Imaginum adorationem excludit, tum epistolam ad Januarium, in qua de earundem veneratione mandat his verbis: [b] *His hortamur affatibus,* inquit, de cruce & Imagine Virginis loquens, quæ in quadam Synagoga à Iudæis erepta collocatæ fuerant, *vt sublata exinde, cum ea, qua dignum est, veneratione, Imagine atque Cruce, debeatis quod violenter ablatum est, reformare.* Jd quod tandem cum eo congruit, quod

[a] Ibid. p. 119.

[b] Greg. Magnus epist. l. 7. ep. 5. citatus à Synodo Paris. p. 38. & 87.

quod eiusdem sæculi scriptor Valafridus Strabo ait; [a] *Non esse Deo debitis honoribus colendas Imagines:* Non esse vltrà [b] *quã satis est, venerandas:* Non esse eas [c] *diuinis honoribus adorandas:* Hęc enim ipsius verba sunt: *Non dicam picturam & Imagines, sed ne ipsos quidem sanctos homines viuos vel mortuos, populus Christianus Diuinis credit colendos honoribus vel adorandos:* Non esse ijs [d] *immoderatum cultum deferendũ:* Sed [e] *neq; esse omnimodis honestos & moderatos earũ honores abijciendos.*

[a] Valafrid. Strabo libr. de reb. Eccles c 8.
[b] Idem. ibid.
[c] Idem ibid.
[d] Idem ibid.
[e] Idem ibid.

Dominus du Plessis confligit adhuc, & instat Durandum ex illo eodem Psalmo inferre: [f] *Ex similibus authoritatibus reprobatur nimius Imaginum vsus. Et hoc*, inquit, *loquens de Christianorum Imaginibus.* Loquens de modo, quo Christianorum Imagines haberi non debent; sic est: velut vnius contrarij occasione de altero & cõtrario loqui solemus: Loquẽs de modo, quo Christianorũ Imagines habẽtur; negatur: vt ex his verbis planũ fit: [g] *Nos illas nõ adoramus, nec Deos appellamus, nec spem*

[f] Dominus Plessius 5. edit. p. 64.
[g] Durand. in ration. l. 1. c. 3.

ſpem ſalutis in eis ponimus, quia hoc eſſet Idololatria: ſed ad memoriam & recordationem rerum olim geſtarum, eas veneramur. Et ex his, [a] *Per ſcripturam res geſta quaſi per auditum, qui minus mouet animum, ad memoriam reuocatur. Hinc etiam eſt, quod in Eccleſia non tantam reuerentiam exhibemus libris, quãtam Imaginibus, & picturis.* Itemque ex his alijs cum eodem pſalmo coniunctè citatis teſtimonijs: [b] *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis*: Et iterùm: [c] *Scimus quia nihil eſt Idolum in mundo, & quod nullus eſt Deus, niſi vnus*: quæ non niſi de Imaginibus intelligi poſſunt, quæ pro Dijs habentur, & cõſequenter, tùm Idola ſunt. Verùm ad quid inquietare ſeu S. Auguſtinũ, ſeu Synodum Pariſienſem, ſeu Durandum, vt ij in litem pertrahantur, in qua nec agitur quid S. Auguſtinus, nec quid Synodus Pariſienſis, nec q̃d Durandus ex iſto pſalmo intulerit; ſed quid Theodoretus intulerit? Etenim non in eo conſiſtit diſputationis nodus, An Dominus du Pleſſis vel

[a] Idem ibid.

[b] Exod. 20.

[c] 1. Cor. 8.

S. Augustinum, vel Synodum Parisiensem, vel Durādum corruperit; sed an Theodoretum corruperit, atque ipsius contextum hisce verbis truncauerit, *à Gentibus culta*, &, *Qui tanquā Dÿ coluntur*, vt quod de solis Ethnicorum Idolis Theodoretus dixerat, ipse ad Imagines Christianorum transferret. Atqui hæc controuersia iam tum ex tempore, Domini Cancellarij & Dominorum Arbitrorum ore decisa fuit, hisce verbis: JSTE LOCVS NON DE CHRISTIANORVM JMAGINIBVS, SED SOLVMMODO DE GENTILIVM JDOLIS DEBET INTELLIGI, VT EX HIS VERBIS PATET, *à Gentibus culta*, ET, *qui tanquam Dÿ habentur*, QVAE A DOMINO DV PLESSIS OMISSA SVNT.

Hac pugna depugnata, addit Dominus du Plessis Episcopum Ebroicensem regessisse, Ethnicorum Idola à Dæmonib⁹ inhabitata fuisse. Quod ipse non regessit: & quamuis fecisset, istius rei auctoritates ei non deessent: vt, inter

vt, inter alios, Tertulliani, qui ait; [a] *Dæmonijs corpora conferunt*: Origenis, qui ait; διὰ τὸ δι' εἰληφέναι περὶ δαιμόνων, ὅτι τοιοῖς δὲ περιχαρθήξονται σχήμασι καὶ χωρίοις. [b] *Dæmonas residere in istiusmodi locis ac statuis*: S. Cypriani, qui ait; [c] *Hi spiritus sub statuis atque Imaginibus consecratis delitescunt*: S. Chrysostomi, qui ait, εἴδωλα, ξύλα καὶ λίθοι, καὶ δαίμονες. *Idola, ligna sunt, & lapides, & dæmones*: S. Hieronymi, qui ait; [d] *Omnibus Simulachris assident immũdi spiritus*: S. Augustini, qui ait, [e] *Vt dæmonia potius quæ sunt in simulachris significarentur*: Arnobij posterioris, qui ait; [f] *Probatum est, quòd omnes Dij Gentium, qui in templis positi essent, habitarent in eis dæmonia*: S. Damasceni, qui ait; καὶ τύποις ὡς θεοῖς προσεκύνουν, ἅπινα δαιμόνων ἦσαν κατοικητήρια. [g] *Hæcq; vt Deos adorabant, quæ Dæmonum erant domicilia*: Et ipsiusmet Theodoreti, qui in eo ipso loco, de quo disputatio est, ait; [h] *Dæmones qui per ipsa operabantur, &c.* Sed tandem Episcopus Ebroicensis hoc non regessit: Tantùm affirmauit, credidisse

[a] Tertull. de Idol.
[b] Orig. contra Celsum lib 7.
[c] Cypr. de Idol. Van.
[d] Hieron. in Habac. c. 2.
[e] August. in psalm. 135.
[f] Arnob. in psalm 95.
[g] Damasc. de Imag. l. 3.
[h] Theodor. in psal. 113.

Paganos ſuorum falſorum Deorum diuinitatem in ſuis Idolis habitare, incorporariq́; illis & vniri perſonaliter: ideoq́; ipſos ſenſiſſe Idola ſua verè & realiter eſſe Deos. Jam verò aſſertionis iſtius tam clara probatio eſt, vt certamine nihil indigeat. [a] *Reliquum autem*, inquit Eſaias, *eius Deum fecit & ſculptile ſibi: curuatur ante illud, & adorat illud, & obſecrat dicens, Libera me, quia Deus meus es tu.* Et Hieremias: [b] *Dicentes ligno, Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuiſti:* Et iterùm: [c] *Confuſus eſt omnis artifex in ſculptili: quoniam falſum eſt quod conflauit, & non eſt ſpiritus in eis.* Et Auctor Sapientiæ: [d] *Incommunicabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt:* Et iterùm: *Omnia idola nationum Deos æſtimauerunt.* Et hiſtoria Bel: [e] *Non videtur tibi eſſe Bel viuens Deus? An non vides quanta comedat & bibat quotidie?* Et S. Lucas: [f] *Dicens, Quoniam non ſunt Dij qui manibus fiunt.* Et veteres: τίνος ὑποστάσεως, ἢ τίνος εἴδους τυγχάνουσιν οὓς ἐρεῖτε καὶ νομίζετε θεοὺς; οὐχ ὁ μὲν τις λίθος ἐστὶν; &c. ταῦτα θεοὺς καλεῖτε,

[a] Eſai. 44.
[b] Hierem. 2. & 7.
[c] Idem c. 10. & 51.
[d] Sap. 14. & 15.
[e] Daniel. 14
[f] Act. 19.

λεῖτε, τούτοις δουλεύετε, τούτοις προσκυνεῖτε, τελέοντε ἐξομοιοῦσθε, διὰ τοῦτο μισεῖτε χριστιανοὺς, ὅτι τούτους οὐχ ἡγοῦνται θεούς. [a] *Cuius subsistentiæ*, inquit Iustinus Martyr, *vel cuius formæ sunt, quos dicitis & existimatis Deos? Nonne hic quidem lapis est? &c.* Et iterùm: *Hæc Deos appellatis, his seruitis, hæc adoratis, denique his assimilamini. Propter hoc odistis Christianos, quòd hos nō existiment Deos.* Et Tertullianus: [b] *Ignibus vrimur, hoc & illi à prima quidē massa. In metalla damnamur; inde censentur Dij vestri &c.* Et paullo pòst: *Si per hæc constat diuinitas aliqua, ergo qui puniuntur, consecrantur: & numina erunt dicenda supplicia.* Et iterùm: *Si Capitolium, si olitorium forum petitur, sub eadem voce Præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione Quæstoris, diuinitas addicta conducitur.* Et Arnobius: [c] *Eos ipsos Diuos*, inquit, *quos esse mihi persuaseram, afficiebam contumelijs grauibus, cùm eos esse credebam ligna, lapides, atque ossa, aut in huiusmodi rerum habitare materia.* Et alibi: *Sed* [d] *erras (inquit) & laberis: Nam neque nos æra, neque auri argentique materias, neque*

[a] *Iust. Mart. ep. ad Diognetum edi. & impr per Henric. Stephan.*

[b] *Tertull. apolog. aduersus Gentes.*

[c] *Arnob. l. I. aduersus gentes.*

[d] *Idem l. 6.*

alias, quibus signa consiunt, eas esse per se Deos, & religiosa decernimus numina: sed eos in his colimus, eosq́ veneramur, quos dedicatio infert sacra, fabrilibus efficit inhabitare simulachris. Non improba, neque aspernabilis ratio, qua possit quiuis tardus, nec non & prudentissimus credere, Deos relictis sedibus proprijs, (id est, cœlo) non recusare, nec fugere habitacula inire terrena: quin imò iure dedicationis impulsos simulachrorum coalescere iunctioni. In gypso ergo mansitant, atq; in testulis Dij vestri? quinimò testularum & gypsi mentes, spiritus, atque animæ Dij sunt? atque vt fieri augustiores vilissimæ res possint, concludi se patiuntur, & in sedis obscuræ coërcitione latitare? Et paullo pòst: *Et tamen, si apertum vobis, & liquidum est, in signorum visceribus Deos viuere atque habitare cælites, cur eos sub validissimis clauibus, ingentibusq́ claustris custoditis? &c. Quin imò si fiditis Deos istic esse, nec ab signis vspiam, simulachrisq́ discedere, permittite illis curã sui.* Et Eusebius de Idólorum destructione loquens: οὐδ' ἐν αὐτοῖς ἀγάλμασιν ἔνοικος, οὐ δαίμων, οὐ χρησμῳδὸς, οὐ θεὸς, οὐ μάντις.

μάντις. [a] *Suam*, inquit, *patrumq́; suorum væcordiam accusabant, cùm neminem in illis statuis intelligerent vel dæmonem, vel Ariolum, vel Deum, vel Vatem, sicuti sibi antea persuaserant, tanquam habitatorem residere.* Et in Commentario in psalmos: ὅπλα καὶ θυρεοὺς τῶν ἀντικειμένων δυνάμεων ἐποίησαν εἶναι τὰ ἄψυχα ξόανα, καὶ τὰ ἀγάλματα τῆς πολυθέου πλάνης. [b] *Statuas inanimas ac simulachra erroris multiplicantis Deos esse fecerunt arma & clypeos aduersarum potestatum.* Et S. Chrysostomus: πῶς γὰρ οὐκ ἐσχάτης παραπληξίας αὐτοὺς μὲν εἰς λίθους καὶ ξύλα καὶ εὐτελῆ ξόανα τοὺς ἑαυτῶν εἰσάγοντας θεοὺς, καὶ καθάπερ ἐν δεσμωτηρίῳ τινὶ κατακλείοντας, μηδὲν αἰσχρὸν ἡγεῖσθαι μήτε ποιεῖν, μήτε λέγειν, ἡμῖν δὲ ἐγκαλεῖν λέγουσιν, ὅτι ναὸν ἑαυτῷ κατασκευάσας ὁ θεὸς ζῶντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, δι' αὐτοῦ τὴν οἰκουμένην ὠφέλησεν. Εἰ γὰρ αἰσχρὸν ἐν ἀνθρωπίνῳ σώματι θεὸν οἰκῆσαι, πολλῷ μᾶλλον ἐν λίθῳ καὶ ξύλῳ, ὅσῳ ὁ λίθος καὶ τὸ ξύλον ἀτιμότερον ἀνθρώπου. [c] *Quomodo enim non est extremi stuporis, ipsos quidem in lapides & ligna, et viles statuas suos Deos inducentes, & tanquam in aliquo carcere inclu-*

[a] *Euseb. de vita Constant. l. 3.*

[b] *Idem in Comment. manusc. in Psalmos penes me, enarr. in ps. 44.*

[c] *Chrysost. in Genesi. apud Theod. dial. 1.*

includentes, se nihil turpe existimare facere, nec dicere; nos autem reprehendere, qui dicimus, quòd Deus viuo templo ex Sancto Spiritu constructo, vniuersum terrarum orbem per ipsum iuuit? Si enim turpe est Deũ in humano corpore habitare, multo magis in lapide & ligno, quanto lapis & lignum est homine vilius. Et S. Hieronymus: *Quis*[a] *possit hoc credere, quòd ascia, lima, & terebro, malleoq; formetur Deus? Et vel in primis simulachra fundantur, vel norma, runcina, & angularibus, circinoq; in Deos repentè consurgant?* Neque enim volo allegare vel Commentarium in Psalmos ipsi adscriptum, vbi Ethnicus sic loquitur: [b] *Non aurum & argentum, sed Deum meum adoro, qui est in illa Imagine.* Neque eum, qui Sancto Ambrosio in Epistolam ad Romanos attribuitur, qui tametsi non sit Sancti Ambrosij, vt hodie inter viros doctos conuenit, antiqui tamen est, qui ait: [c] *Ad iniuriam Creatoris Dei figmenta & similitudines rerum deificauerunt.* Et iterùm: *Lapidibus*[d] *vel lignis, vel cæteris metallis auferentes quod sunt,*

[a] *Hieron in Esai. c. 44.*

[b] *Comment. Hieron. adscriptus in psalm. 113.*

[c] *Comm. adscript. Ambros. in ep. ad Roma.*

[d] *Ibidem paulo pòst.*

ſunt, dant illis quod non ſunt, & hoc eſt immutare verum in falſum: non enim vocantur iam lapis aut lignum, ſed Deus. Et S. Auguſtinus: *Hos ergo Spiritus inuiſibiles per artem quandam viſibilibus rebus corporalis materiæ copulare, vt ſint quaſi animata corpora illis ſpiritibus dicata, & ſubdita ſimulachra, hoc eſſe dicit Deos facere Mercurius Triſmegiſtus.* Et Sozomenus de quodam Gentili Philoſopho nomine Olympio loquens: καθαιρουμένων δὲ τῶν ξοάνων, ἀθυμοῦντας ὁρῶν συνεβούλευε μὴ ἐξίστασθαι τῆς θρησκείας, ὕλην φθαρτὴν καὶ ἰνδάλματα λέγων εἶναι τὰ ἀγάλματα, καὶ διὰ τοῦτο ἀφανισμὸν ὑπομένειν. δυνάμεις δέ τινας ἐνοικῆσαι αὐτοῖς καὶ εἰς οὐρανὸν ἀποπτῆναι. [a] *Qui quidem,* inquit, *cùm ob eiecta ſimulachra conſpiceret eos eſſe conſternatos, hortatur ne à religione ſua deficerent, aſſerens Imagines ac ſtatuas nihil aliud eſſe quã materiam corruptibilem, ac proinde ad nihilum potuiſſe redigi: inhabitaſſe autem his virtutes quaſdam, & eas iam in cælum auolaſſe.* Et Theodoretus in Eſaiam: ἃ γὰρ ταῖς χερσὶ καὶ τοῖς δακτύλοις εἰργάζοντο, ταῦτα θεοὺς ἐπωνόμαζον. [b] *Quæ enim ipſi mani-*

Auguſt. l. 8. de ciu. Dei cap. 23.

[a] *Sozo. Eccl. hiſt. l. 7. c. 15.*

[b] *Theod. manuſcr. græcè in Eſai. c. 2. penes me ex Biblio Ant. Verderij mihi à filio ſuo datus.*

manibus ac digitis ſuis operati erãt, ea Deos appellabant. Et alibi. καὶ αὐτὰ μὲν ἀναιροῦσι τὰ ζῶα, τοὺς ὄφεις λέγω, καὶ τοὺς σκορπίους καὶ τὰς μυίας καὶ νυκτερίδας, τὰ δὲ τούτων ἐθεοποίουν μιμήματα. *Cumq;* [a] *ipſa animalia, ſerpẽtes inquam, ſcorpiones, mures, veſpertilionesq; interficerent, harũ tamen animantiũ ſimulachra ſibi Deos erexerant.* Et vt ad poſteriora ſæcula deſcendamus; Strabus iam antè laudatus: [b] *Æſtimabant Idolum eſſe perſonam ſubſiſtentem ex ſimulachro, & ſpiritu præſidẽte.* Et S. Thomas: *Idolum* [c] *nihil eſt, forma ſcilicet, quæ creditur ibi eſſe ab Idololatris, qui credunt Idolum eſſe Deum.* Et Holcot, deliciæ Domini du Pleſſis: [d] *Accipitur Idolum quaſi pro quodam compoſito ex Dæmone & materia figurata: ſicut homo componitur ex corpore & anima: Et ſic loquitur Apoſtolus, Nihil eſt Idolum in mundo.* Et ipſemet Caluinus, cùm febris eum deſeruit: [e] *Si quis,* inquit, *interrogaſſet ſapientiſſimos illos, qui putarunt gentes omnes eſſe barbaras, vel Romæ, vel Athenis, vel in alijs vrbibus, quid eſt illud? Si quis vidiſſet Iouem argenteum, vel ligneum vel lapideum;*

[a] Idem de græc. affect. cur. l. 10.

[b] Strab. in 1. Cor. c. 8.

[c] S. Thom. in 1. Cor. c. 8.

[d] Holcot. in cap. 14. Sap. lect. 61.

[e] Caluin. in Habac. c. 2.

deum; est Iupiter, est Deus. Vnde hoc? Est tamen lapis, est frustum ligni, vel argenti; nihilominus Deum esse asseruissent. Et alibi: [a] *Meritò delictum hoc exagitat Propheta, quod Deitatem includant corruptibilibus signis: quin à natura Dei alienum est, sub lapide, frusto marmoris, vel ligno, vel trunco, vel ære, vel argẽto habitare.* Quapropter ipsis Idolis cæcior sit oportet, qui non videat discrimen, quod est inter opinionem, quam de suis Idolis Ethnici habebant, & eam, quã Christiani de suis Imaginibus habẽt. Ethnici enim Idola sua esse credebãt Deos, aut substantiæ cõuersione Idolorum suorum, vt simplices; aut Diuinitatis in Idola sua infusione & incorporatione, vt docti. Quòd si nonnunquam eorum Philosophi & litterati viri, pudore adacti, quo Christiani illos afficiebant, faterentur, aut se fateri simularent, Idola sua nõ esse verè & personaliter Deos: hoc saltem sentiebant, ea esse Imagines ac domicilia Deorum. [b] *Sed exstitit nescio quis disputator*, inquit S. Augustinus, [illegible]

[a] *Idem in psal. Latin. 113. Hebr. 115.*

[b] *Aug. in psal. 96.*

qui doctus sibi videbatur, & ait. Non ego illum lapidem colo, nec illud simulachrum, quod est sine sensu; non enim Propheta vester potuit nosse, quia oculos habent, & non vident, & ego nescio, quia illud simulachrũ, nec animam habet, nec videt oculis, nec audit auribus. Non ergo illud colo; sed adoro quod video, & seruio ei quem non video. Quis est iste? Numen quoddam, inquit, inuisibile, quod præsidet illi simulachro. Et in libro tertio de doctrina Christiana: *Illi,* [a] inquit, *simulachra venerantur, vel tanquam Deos, vel tanquam signa, & Imagines Deorum.* Christiani verò Sanctorum Imagines, nec pro Deorum Imaginibus, nec pro dijs habent: [b] E cõtrario prohibent, *credere aliquam in ijs esse Diuinitatem, vel virtutem, propter quam sint colendæ, vel ab ijs esse aliquid petendum, vel fiduciam in ijs figendam esse.* Atque ideo, quemadmodum cùm Israëlitæ arma sumpserant, vt deletum irent duas tribus & dimidiam, quæ trans Jordanem restiterant: eo quòd altare aliud erexissent ab eo, quod erat Tabernaculi: quæ res contra expressum

[a] Idem lib. 3. de doctrin. Christ. c. 7.

[b] Conc. Trident. sess. 25

pressum legis interdictum esse videbatur, istæ responderunt: *Fortissimus Deus Dominus, ipse nouit, & Israël simul intelliget: si præuaricationis animo hoc altare construximus, &c. & non ea magis cogitatione atque tractatu, vt diceremus, cras dicent filij vestri filijs nostris, Quid vobis & Domino Deo Israel? terminum posuit Dominus inter nos & vos, Iordanem fluuium: &c. Putauimus itaque melius, & diximus, Extruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas, sed in testimonium inter nos & vos, & sobolem nostrã vestramq; progeniem, vt seruiamus Domino, & iuris nostri sit offerre & holocausta, & victimas, & pacificas hostias:* Atq; tùm summus Sacerdos & Principes populi acquieuerunt: Jta nos ijs, qui pietate nostrarum imaginum offenduntur, & scandalizantur, respõdere possumus; Fortissimus Deus Dominus, ipse nouit, & populus Christianus simul intelliget, nos non intentione præceptum legis præuaricandi Imagines Apostolis & Martyribus erigere, neque vt eas pro Dijs

Iosue 22.

vel

vel Deorum Imaginibus habeamus, neque vt ijs holocausta, victimas, & sacrificia offeramus, neque vt ijs Diuinitatis opinionem aliquã, aut cultum aliquem Latriæ deferamus: Sed id facimus in signũ & testimonium, nos non esse priuatos & separatos à comunione sanctorum fratrũ nostrorum, qui iam Jordanem transierunt, & in illa superna promissionis terra habitant: verùm nos, vti eorum Imagines atque effigies in nostris Ecclesijs habemus; ita esse cum ipsis eiusdem Ecclesiæ membra, atque eiusdẽ ciues reipublicæ. Hoc solùm hac in parte discrimen agnoscimus, quod illi sint membra gloriosa & triumphantia, quæ iam præmium & coronam receperunt; nos adhuc membra militantia & pugnantia simus. Ideoque quemadmodum in ciuitatibus rebusq; publicis sæcularibus statuæ ponuntur ijs, qui pro reipub. suæ defensione mortem oppetiuerunt, tum vt iustus ijs ab ipsisq; meritus honos persoluatur, alijq; ad eos suspiciendos imi-

imitandosq; animentur, tum vt eæ gloriæ atque ornamento sint patriæ, quæ ipsos generauit: Ita ijs, qui pro honore capitis sui, quod est Christus, & pro defensione reip. suæ spiritualis, quæ est Ecclesia, vitam suam sacrificauerunt, Diabolum, supplicia & mortem expugnarunt ac deuicerũt, effigies ac statuas triumphales erigimus: primùm, vt externum aliquem eorum meritis honorem rependamus, eorumque recentem perpetuò & præsentem memoriam conseruemus: deinde, vt eos, qui ista trophæa monumentaq; virtutis illorum intuentur, ad eorundem exempla meditanda imitandaq; excitemus: tum vt eæ gloriam atque splendorem patriæ illorum spirituali Ecclesiæ adferant, quæ magnificentiora nequit habere ornamenta, neque gloriosiora fidelium oculis spectacula exhibere, quã signa atque effigies tot fortium ac victorum, quos genuit, bellatorum: denique vt hac Imaginum in Ecclesijs nostris collocatione, nos in eadem

Ecclesia viuere, atque ad eandem nos aspirare societatem, in qua & hic in terris vixerunt, & illic in cœlo regnãt illi, quos eæ repræsentant; neque nos ab ea vllo schismatis, aut hæreseos interuallo separatos esse protestemur: Non autem, vt eorum Imagines deificemus, & pro Idolis habeamus, quibus eas, quòd Idola expugnarint ac demoliti sint, erigimus.

Dominus du Plessis addit ad extremum, de eo Theodoreti testimonio, quod Episcopus Ebroicensis citauit; Φασὶ γὰρ οὕτως ἐν Ῥώμῃ τῇ μεγίστῃ πολυθρύλλητον γενέσθαι τὸν ἄνδρα, ὡς ἐν ἅπασι τοῖς τῶν ἐργαστηρίων προπυλαίοις, εἰκόνας αὐτῷ βραχείας ἀναστῆσαι, φυλακήν τινα σφίσιν αὐτοῖς καὶ ἀσφάλειαν ἐντεῦθεν πορίζοντας. *Aiunt* [a] *enim Romæ, quæ est longè maxima, eum fuisse adeo omnium sermone celebratum,* (S. Simeonem Stelitam) *vt in officinarum omnibus vestibulis & porticibus ei paruas posuerint Imagines, hinc sibi præsidium & tutelam parantes:* aut, vt Dominus du Plessis vertit, *opem inde sperantes:* Lectori notandum esse, [b] *eos ipsi ex-*

[a] *Theod. in hist. sanct. patrũ c. 26.*

[b] *Dominus Plessius 3. edit p. 65.*

ipsi exhibitos honores adeo molestos fuisse, vt ideo columnam istam ædificari curare in animum induxerit, in cuius fastigio reliquum vitæ suæ transigere voluit. In quo, pro bellarijs & tragematis, manifestas falsitates adhuc committit duas: Vnam, quòd pro his verbis, *hinc sibi præsidium & tutelam parantes*, vertat, *inde opem sperantes*, vt simplex sit & nuda vulgaris opinionis narratio, & non Theodoreti iudicium: Etenim Græcus habet, πορίζοντας, & Latinus, *parantes*. Quòd si iam Dominus du Plessis ignorat, quid differant, πορίζοντας, & ἐλπίζοντας, & Latinè, quid, *parantes*, &, *sperantes*; per me licet, remittatur ipse ad Calepinum Cardinalis Senensis. Alteram, quòd Theodoretum velit honores illos, quorum S. Simeonem Steliten pertæsum est, ad imagines, quæ ipsi Romæ erigebantur, referri: pro eo, quòd Theodoretus loquitur de turbis, & innumerabilium hominum concursu, qui ipsum inuisebant, confertiq; vestimenta eius contrectabant, vt aliquam inde perciperent bene-

benedictionem: & vt eius modestiam ostendat, inquit; *Absurdum & alienum existimans tam insignem sibi haberi honorem; deinde etiam rem ægrè ferens, vt nimis laboriosam, machinatus est in columna stationem.* Et reuera lepidum ac perfacetum fuisset S. Simeoni Stelitę remedium, vt in Italia, (id est, ampliùs mille milliarijs à se) deuotionis cursum erga suas Jmagines sisteret, quæ pro tutela Romæ in omnibus officinarum vestibulis ponebãtur, earumq; exempla in Occidente multiplicari impediret, columnam in Oriente cõscendere. Verum eò rediguntur ij, qui manifestam veritatẽ impugnant, nempe, vt in manifestas absurditates delabantur.

Latina Versio Theodoreti, quam Domin. du Plessis citat.

Habetis nunc, Lectores, expugnationem refutationemq; omnium argumentorum ac locorum, quę in Dñi Plessij Narratione allegantur, tam eorum quæ in ipso Colloquio proposita & oppugnata fuerunt, quàm eorum, quæ ipse postmodum excogitauit. Restant recriminationes, & com-

missæ falsitates, quas ipse vicissim aduersus Decreti auctorem, & aduersus Episcopum Ebroicensem obijcit, quę succinctè deinceps subuertẽdæ sunt, vt omnis ei vindictæ atque pignorationis spes eripiatur.

RECRIMINATIONES Domini Plessij contra Gratianum Decreti auctorem.

CONTRA Decreti auctorem igitur, tria falsi crimina proponit, quorum duo iam notauerat abhinc vicenos annos, in suo libro de Ecclesia, tertium aut postmodum inuenit, aut inuenisse se putauit: quæ tanquã pignora & obsides multarum centuriarum & Chiliadum cõsignat. Quia enim nec iuriiurando, *Ego Ludouicus*, immorari vult, nec donationi Constantini, neque ego immorabor. Hoc tãtùm dicam, si Genium auium Diomedis habuisset, quæ Græca à Barbaris discernere nouerant, huius donationis acta animaduertisset non esse opus originale Latinum, sed è Græco con-

benedictionem: & vt eius modestiam ostendat, inquit; *Absurdum & alienum existimans tam insignem sibi haberi honorem; deinde etiam rem ægrè ferens, vt nimis laboriosam, machinatus est in columna stationem.* Et reuera lepidum ac perfacetum fuisset S. Simeoni Stelitę remedium, vt in Italia, (id est, ampliùs mille milliarijs à se) deuotionis cursum erga suas Jmagines sisteret, quæ pro tutela Romæ in omnibus officinarum vestibulis ponebātur, earumq; exempla in Occidente multiplicari impediret, columnam in Oriente cōscendere. Verum eò rediguntur ij, qui manifestam veritatē impugnant, nempe, vt in manifestas absurditates delabantur.

Latina versio Theodoreti, quam Domin. du Plessis citat.

Habetis nunc, Lectores, expugnationem refutationemq; omnium argumentorum ac locorum, quę in Dñi Plessij Narratione allegantur, tam eorum quæ in ipso Colloquio proposita & oppugnata fuerunt, quàm eorum, quæ ipse postmodum excogitauit. Restant recriminationes, & com-

missæ

missæ falsitates, quas ipse vicissim aduersus Decreti auctorem, & aduersus Episcopum Ebroicensem obijcit, quę succinctè deinceps subuertẽdæ sunt, vt omnis ei vindictæ atque pignorationis spes eripiatur.

RECRIMINATIONES Domini Plessij contra Gratianum Decreti auctorem.

CONTRA Decreti auctorem igitur, tria falsi crimina proponit, quorum duo iam notauerat abhinc vicenos annos, in suo libro de Ecclesia, tertium aut postmodum inuenit, aut inuenisse se putauit: quæ tanquã pignora & obsides multarum centuriarum & Chiliadum cõsignat. Quia enim nec iuriiurando, *Ego Ludouicus*, immorari vult, nec donationi Constantini, neque ego immorabor. Hoc tãtùm dicam, si Genium auium Diomedis habuisset, quæ Græca à Barbaris discernere nouerant, huius donationis acta animaduertisset non esse opus originale Latinum, sed è Græco con-

conuersum, [a] vti Agylæus Caluinianus notauit, & vti phrases Græcanicæ, quę obliquè in eo relucent, ostendunt, & vti Græcum, quod iam inde à sæculo Gratiani in [b] Balsamone Patriarcha Antiocheno insertum reperitur, (Δέον ἐκρίναμεν μετὰ πάντων τῶν σατραπῶν ἡμῶν, καὶ πάσης τῆς συγκλήτου, καὶ τῶν ἀρχόντων, καὶ μετὰ παντὸς τοῦ λαοῦ τοῦ ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῆς ῥωμαϊκῆς δόξης, ἵνα ὡς ἅγιος Πέτρος, &c. Jdem Balſ. Melit. 1. κατὰ τὸ τοῦ ἁγίου Κωνσταντίνου νομιζόμενον θέσπισμα.) & centenis ante Gratianum annis à [c] Cerula Patriarcha Constantinopolitano pro vestium suarũ priuilegijs citatũ, confirmat. Quamobrem qualescunque aduersus rem ipsam accusationes institui possint, contra fidem Gratiani, quod ad hoc attinet, obijci nihil potest. Atque ego inde ad primum ab ipso ordine digestum caput veniam, quod ipse hisce verbis proponit.

OBIECTIO I.

[d] *In illo celebri Concilio Carthaginiensi tertio, cui S. Augustinus ipsemet interfuit,* *Canon*

[a] *Henric. Agy ræus Basiliens. in præfat. in Balsam. Certè tum etiam Constãtini sanctionẽ, qua in Syluestrũ Occidentis Imperium transfert, veram esse creditũ fuit Et paulò pòst. Quæ de ea re in hominum manib. latina sunt, de malis Græcis malè conuersa esse, meridiana luce clarius est.*

[b] *Edict. Constant. apud Balsam. in nomocã. tit. 8. Impr. Bas.*

[c] *Apud Balsam ix vers. Gẽt. Her. in Nom. tit. 8.*

[d] *Dn. Pless. 3. edit. p. 69.*

Canon XXXI. directè contra Sedis Romanæ vſurpationes ac molitiones dicit: Preſbyteri ad tranſmarina iudicia non prouocent, ſed ad Primates prouinciarum ſuarum, vti ſæpe per Epiſcopos definitum eſt: Ad tranſmarina autem qui putauerint appellandum, à nullo intra Africam in communione ſuſcipiantur. Hic Canon relatus in Decretum, 2. quæſt. 6. Placuit vt Presbyteri. Qua conſcientia potuerunt ei addere hæc verba, Niſi fortè Romanam ſedem appellauerint; quæ intentionem Concilij funditus euertunt?

Reſponſionis ad hanc obiectionẽ duas faciam partes: vnam, vt vel ipſummet Dominum du Pleſſis, vel eos, quos in citando ſequitur, hunc canonem corrumpere oſtendam: alteram, vt eundem à Gratiano nequaquam corrumpi defendam. Et quia Domini Pleſſis deprauatio ignorantijs & falſitatibus permixta eſt; huius iterum corruptionis examẽ in quinque partiar articulos.

Primus eſto, quòd tertium Carthaginienſe Concilium, ſub Syricio

celebratum, ſumit pro Concilio Mileuitano, quod ſub illius ſucceſſoris ſucceſſore Jnnocentio celebratum fuit. In toto enim tertio Concilio Carthaginienſi nullum vel in trigeſimo tertio Canone vel alibi eorum verborum eſt, quæ ipſe refert: Deſumpta ſunt ea ex Canone vigeſimo ſecundo Concilij Mileuitani, contra Pelagium celebrati, ex quo etiā Gratianus ea citat; non autem ex Concilio Carthaginienſi tertio. Reperiuntur illa quidem in quodam Carthaginienſi Concilio, quod Mileuitanum confirmauit & ſub Zoſimo Innocentij ſucceſſore contra eundem Pelagium habitum eſt, repetita, & inde iterùm in confuſam illam & tumultuariam Canonum & Conciliorum Africæ rapſodiam, quæ Concilium Africanum dicitur, inſerta, à nonnullis ad finem ſexti affixa, & ab alijs ad extremum ſeptimi Carthaginienſis Concilij, quod ſub Bonifacio Zoſimi ſucceſſore celebratum eſt. Sed neque vllum iſtorum Cōciliorum eſt Con-

cilium

cilium Carthaginienſe tertium, quod ſub Syricio habitum eſt, neque Gratianus, de cuius vnius allegatione hoc loco agitur, ex vllo iſtorum ea citat; ſed ex Canone vigeſimo ſecundo Cõcilij Mileuitani. Quin ipſemet Dominus du Pleſſis, in verificatione, quã vocat, libri ſui de Eccleſia, vbi meliorem Indicem habebat, ea non ex tertio Concilio Carthaginienſi, ſed ex Concilio Mileuitano producit. Vnde apparet errorem hunc à nouo ipſius Summonitore, qui ſacci ipſius epigramma mutauit, non ab ipſo proficiſci, qui pro varietate ſchedarum memorialium, quæ ipſi traduntur variè auctores citat.

Dominus Pleſſius in poſtrema edit. libri de Eccleſ. c. 8 p. 285.

Alter eſt, quòd pro textu originali Latino Concilij, verſionem Latinam è verſione Græca ex antiquo Latino facta conuerſam ſumit, (ingenuéne, an ingenioſè, ipſe viderit) eamque Lectoribus, pro primitiua & authentica editione Canonis, proq; ea, de qua Gratiano, qui quadringẽtis antè annis viuebat, lis intendi debet, ſup-

ponit. Etenim Concilium Mileuitanum, reliquaq; Concilia Africana latinè, & non Græcè celebrata fuisse, nullus est tam rudis scholasticus Latinus tiro, qui nesciat: Et editionem, quam Dominus du Plessis citat, versionem esse Latinam ex alia versione Græca, quæ primùm ex Latino in Græcum, ac deinde per Gentianum Heruetum, ex Græco in Latinum, anno M. D. L X I. id est, ampliùs quadringētis annis post Gratianum, translata sit, nemo est, præter eos, qui per procuratores student, qui ignoret.

Tertius est, quòd ex citatione sua Gallica, hæc verba, quæ in originali textu habentur, detruncat, [a] *Diaconi, vel cæteri inferiores clerici*, vt hac suppressione, eos qui Latinè non intelligunt; Specialem intentionem celet, quam idem Concilium se habuisse ostendit, interdictum trans mare appellandi, ad solos clericos inferiores, id est, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, restringendi, excipiendiq; clericos

[a] *Conc. Milem. can 22 Placuit vt Presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores clerici, in causis, quas habuerint si de Iudicijs Episcoporū suorum questi fuerint, vicini Episc. eos audiāt, &c. Quod si & ab eis prouocandū putauerint, non prouocent, nisi ad Africana Cōcilia, vel ad Primates prouinciarū suarum. Ad trāsmarina autē, qui putauerint appellandum, à nullo intra Africam in communione suscipiantur.*

clericos ſuperiores, id eſt, Epiſcopos, quos ſingularem, quod ad appellationes attinet, prærogatiuam habuiſſe, docet etiam S. Auguſtinus. Js namq; Cæciliani cauſſam tractans, ex qua cauſſæ æquitas vel Catholicorum vel Donatiſtarum in ſchiſmate ſedis Carthaginienſis dependebat, hanc veluti Maximam pro baſi ac fundamento æquitatis Catholicorum ponit; Epiſcopos habere aliud priuilegium, vbi de appellatione agitur, quàm Preſbyteros, Diaconos, alioſq; clericos inferiores; poſſe nimirũ eos trans mare appellare, quod cæteri Eccleſiaſtici facere non poſſent: Ideoque Cæcilianum, qui non ex Preſbyterorum, aliorumúe clericorum inferiorum, ſed ex Collegarum, id eſt, Epiſcoporum numero eſſet, iudicari trans mare abſoluique legitimè potuiſſe. En tibi ipſius verba: [a] *Carthago non mediocris vtique auctoritatis habebat Epiſcopum, qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cùm ſe videret & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſto-*

[a] *Auguſtin. epiſt. 198.*

 licæ

licæ cathedræ viguit principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse coniunctum. Et paullo pòst: *Neque enim de Presbyteris aut Diaconis, aut inferioris Ordinis clericis, sed de Collegis agebatur, qui possent aliorum Collegarum iudicio, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum, caussam suam integram reseruare.* Nam quod attinet ad controuersiam, quæ postmodum in caussa Vrbani & Appiarij incidit, peculiare factum est, neque vel adConcilium Mileuitanũ, vel ad Gratiani allegationẽ pertinet, & cęterũ, de quo multa dicenda sunt, quę &locũ & tẽpus aliud desiderant.

Quartus, quòd & in Latino & in Gallico suę citationis textu hãc clausulam inserit, *vti sæpè ab Episcopis definitum est*: quæ falsa est diuersa lectio, quæ in margine quorundam exemplarium notata reperitur, & quæ ex peruersa traductione Græca farraginis istius Cõciliorum Africæ desumpta est, in quã ista aut ignoranter aut malitiosè apposita notatio cuiusdam Postil-

Postillatoris Græci, primorum Græciæ schismatum tempore ex margine in contextũ, & inde in antiquas quasdã rapsodias Latinas defluxerat. Nam neque antiqua Concilij Mileuitani exemplaria separatim edita quicquã eiusmodi habent; neque editiones [a] Parisienses, [b] Basileenses, [c] Venetæ, seu in Concilio Mileuitano, seu in rapsodia Cõciliorum Africæ vel verbum eius continent: neque Colonienses, nisi ad marginem apponunt: neque Epitome Canonum [d] Cresconij Africani abhinc amplius mille annos facta vllam eius mentionem facit, sed solum de Presbyteris & Clericis loquitur: neque in duabus citationibus, quibus hunc articulũ Gratianus [e] profert, eius quicquam reperitur: neque [f] Centuriatores Germaniæ, dum Concilium Mileuitanũ in forma referunt, id ei inserunt: neque ipsemet Dominus du Plessis [g] in nouo libro de Ecclesia, vbi originalem Concilij Mileuitani textum producit ac repræsentat, quicquam huiusmo-

[a] Concil. impress. Paris. apud Galiot dupré, 1524. & apud Frãc. Regn. 1535. Et summa Concil. Paris. apud Guiliel Thiboul. 1555.

[b] Can. Concil. impr. Basil. per Ioan. Opor. 1553.

[c] Conc. imp. Venet. 1585.

[d] Crescon. in breu. cano. art. 285.

[e] Decret. c. 2. q. 6. & c 11. q. 3.

[f] Centur. 5. Col. 839.

[g] Vltima edit. libri de Eccles. pag. 285.

iuſmodi miſcet: neque rapſodia Græca [a] vbi hunc canonem ſuo ordine repetit, nempe eo, quo in Latino poſitus eſt, id eſt cum toto corpore Cōcilij contra Pelagium, in quo Mileuitanum confirmatum eſt, id interijcit; ſed ſolùm alio in loco, in quem ex ſua ſede hic articulus translatus eſt, quo ex loco, & non ex vera ipſius origine Dominus du Pleſſis, aut ipſius Actor eum hac occaſione deſcribit. Neque poteſt denique hæc falſa additio vllo modo ſubſiſtere, ſed accuſat ſe ac deſtruit manifeſtè ipſamet. Verba Domini du Pleſſis, & diuerſæ lectionis Græcæ, quæ ſuo ipſius titulo mendacij arguitur, hæc ſunt, (πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι, καὶ κληρικοὶ, οἱ ἐν τῷ ἰδίῳ πράγματι ἔγκλητον παρέχοντες, ἐπὶ τὰ πέραν τῆς θαλάσσης εἰς κοινωνίαν μηδαμῶς δεχθῶσιν.) *Presbyteri* [b] *ad tranſmarina iudicia non prouocent, ſed ad Primates prouinciarum ſuarum, vti ſæpe ab Epiſcopis definitum eſt:* Jam preterquam quod hoc nūquam antè Epiſcopis, quorum erant potiora priuilegia, quàm Preſbyteris, Diaconis,

[a] *Rapſ. græc. concil. Carthag. impr. Tig. cā. 127. & apud Zonar. & Balſam. c. 126.*

[b] *Titul can. 28. vel ſecūdum alios 31. Rapſod. Græca Concil. Carth.*

conis,& Subdiaconis, quorum erant minora, interdictum fuisset; quomodo definitum esse potuerat, ne Episcopi,nisi ad Primates prouinciarum suarum appellarent, cùm prouinciarum suarum primates essent, ([a] vti Concilium Carthaginiense tertium testatur) à quibus in prima instantia, & ante omnem appellationem iudicabantur?

Quintus, quod ex sua Conuersione Gallica hanc clausulam,quæ veluti frenum est, quo articulus constringitur,tollit, *In caussis quas habebunt*; id est, in caussis proprijs, & non in caussis Ecclesiasticis; in caussis, quas ipsi habebunt,& non in caussis, quas Ecclesia per ipsos habebit; [b] in caussis, in quibus non nisi de bonis ac moribus priuatorum tractabitur,& non in caussis, in quibus de Fide, aut de Sacramentis,aut de cæremonijs Ecclesiæ agetur: Tandem in caussis, quas antiqui caussas minores vocabant, & non in caussis, quas illi caussas maiores appellabant. Omnibus enim Ec-

[a] *Concilium Carthagi.3. Can.7. Quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem prouinciæ ipsius caussam deferat accusator.*

[b] *Sozom.l.1. c.9. Ambr. epist. 32. In causa Fidei vel Ecclesiastici alicuius ordinis, &c. sacerdotes voluit de sacerdotib. iudicare, &c. Item si morum Episcopi examinanda caussa.*

clesiasticorũ contẽtionibus in omni caussarum genere, tam Ecclesiasticarum, quàm sęcularium; tam ciuilium, quàm criminalium, & Imperatorum legibus, & Conciliorum decretis, ad Iudicum Ecclesiasticorum tribunal remissis; quemadmodum Concilium Carthaginiense tertium fidem facit, quod sic decernit: [a] *Si relicto Ecclesiastico iudicio, publicis iudicijs purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali iudicio. In ciuili verò perdat, quod euicit, si locum suũ obtinere voluerit:* Lites Ecclesiasticorum id fuisset reddere infinitas ac immortales, si simpliciũ Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum appellationibus in priuatis eorum ac particularibus caussis, porta trans mare aperta fuisset. Atque ideo Concilium Mileuitanum clericos inferiores vetat, *in caussis quas habebunt*, id est, in caussis suis proprijs ac personalibus, in caussis suis priuatis & particularibus, in caussis suis pecuniarijs, aut moralibus, trãs mare prouocare.

[a] *Conciliũ Carthag. 3. can. 9.*

uocare. Atque hoc modo Græcum eiuſdem editionis, quam citat Dominus du Pleſſis, argumentum exponit: Iſta enim verba, *In cauſſis, quas habebūt*, per hæc interpretatur, *in cauſſis proprijs:* (πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι, καὶ κληρικοὶ οἱ ἐν τῷ ἰδίῳ πράγματι ἔκκλητον παρέχοντες, ἐπὶ τὰ πέραν τῆς θαλάσσης εἰς κοινωνίαν μηδαμῶς δεχθῶσιν.) [a] *Vt Presbyteri*, inquit, *Diaconi, & clerici, in propria cauſſa appellantes ad tranſmarina iudicia, in communionem non recipiantur.* Jam verò cauſſas proprias ab Eccleſiaſticis cauſis diſtinctas fuiſſe, [b] ſextus canon primi Concilij Conſtantinopolitani, (εἰ μὲν τις οἰκείαν τινὰ μέμψιν, τοῦτ᾽ ἔστιν, ἰδιωτικὴν ἐπαγάγοι τῷ ἐπισκόπῳ, &c. ἐπὶ τῶν τοιούτων κατηγοριῶν μὴ ἐξετάζεσθαι, μήτε πρόσωπον τοῦ κατηγόρου, μήτε τὴν θρησκείαν, &c. εἰ δὲ ἐκκλησιαστικὸν εἴη τὸ ἐπιφερόμενον ἔγκλημα τῷ ἐπισκόπῳ, τότε δοκιμάζεσθαι χρὴ τῶν κατηγορούντων τὰ πρόσωπα.) & [c] ſeptimus canon tertij Concilij Carthaginienſis teſtantur, qui has illis opponunt, prohibentq́; perſonis reprehenſibilibus, ne Epiſcopos accuſent,

[a] *Argumēt. Can. 28. vel ſecundum alios, 31. rapſod. Græca Conciliorū Carthagin.*

[b] *Conc. Conſtant. 1. canon. 6.*

[c] *Conc. Carthag. 3. can. 7. Niſi proprias cauſſas, non tamen Eccleſiaſticas, dicere voluerit. Rapſod. Græc. Concil. Carthaginienſ. canon. 19.*

cuſent, niſi in cauſſis proprijs, & non Eccleſiaſticis. (εἰ μηδηαὶν ὑπὲρ ἰδίου πράγματος, μὴ μέντοι περὶ ἐκκλησιαστικοῦ, θελήσῃ ἐπιβάλλεσθαι.) In hoc igitur cauſſarum genere (id eſt, in cauſſis minoribus ac perſonalibus) Mileuitanum Cōcilium appellationibus trans mare interdicit. At vnquam vel idem Concilium, vel aliquod aliud attentaſſe, vltimam maiorum cauſſarum Eccleſiaſticorum cognitionem in Africa retinere, nuſquam reperietur. E contrario, Mileuitanum Conciliū, & illud Carthaginenſe, quod à Mileuitano citatur, Pelagij & Cœleſtij cauſſam, qui accuſati hęreſeos, & ambo clerici inferiores erant, & quorum alter iam in Africa, alter in Aſia, vterque coram Concilio, auditus fuerat, vltro & ex proprio motu ad Papam remittunt: eumq́; rogant, vt authoritatem ſuam ad eorum decreta adiungat, ac de ſententia iudicet, quæ de Pelagio ab Epiſcopis Palæſtinæ lata fuerat.[a] *Quia te Dominus*, inquit Concilium Mileuitanum ad Papam Innocen-

[a] *Concil. Mileuit. epiſt. ad Innocentium, inter epiſt. Auguſt. 92.*

nocentium primum scribens, *gratiæ suæ præcipuæ munere in sede Apostolica collocauit, talemq́ nostris temporibus præstitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus: quàm ea tu possis vel fastidiosè vel negligenter accipere; magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligētiam quæsumus adhibere digneris.* Et paullo pòst: *Huius autem perniciosissimi erroris auctores esse perhibentur Pelagius & Cælestius, quos quidem in Ecclesia sanari maluimus, quàm desperata salute ab Ecclesia resecari, si necessitas nulla compellat.* Et iterùm: *Sed arbitramur, adiuuante misericordia Domini nostri IESV Christi, qui te & regere consulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati sanctitatis tuæ, de sanctarum scripturarum auctoritate deprompta, facilius eos, qui tam peruersa, & perniciosa sentiunt, esse cessuros.* Itemq; Concilium Carthaginiense: [a] *Hoc itaque gestum, Domine frater sancte, charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur*

[a] *Conc. Carthag. Epist. ad Innocentium cōtra Pelagium, inter epist. August. 90.*

beatur auctoritas. Et ſub finem epiſtolę: *Non dubitamus venerationem tuam, cùm geſta Epiſcopalia perſpexerit, quæ in Oriente, in eadem cauſſa confecta dicuntur, id iudicaturam, vnde omnes in Dei miſericordia gaudeamus.* Et ipſemet Innocentius in reſpoſione ad Epiſcopos Concilij Mileuitani, inter Epiſtolas Diui Auguſtini relata, eos laudat, quod legitimè canones erga ſe obſeruauerint: [a] *Diligenter ergo, & congruè Apoſtolico conſulitis honori.* Et iterum: *Canonum potiemini gratia ſeruatorum.* Quod non feciſſet, ſi illi aduerſus cauſſarum maiorũ appellationes peculiare Decretum compoſuiſſent. Nam idem Innocentius in Epiſtola ad Victricium abhinc mille ducentos annos conſcripta, & à S. Gregorio abhinc mille annos citata, & à ſecundo Concilio Turonenſi, abhinc mille triginta años; expreſsè teſtatur, cauſſarum maiorum appellationes, quo ad extremam deciſionem attinét, ad ſe pertinere: [b] *Si maiores cauſſæ*, inquit, *in medium fuerint deuolutæ, ad ſedem Apoſtolicam,*

[a] *Innocent. epiſt. ad Epiſcopos, qui Mileuit. Synodo interfuerunt, inter epiſtol. Aug. 93.*

[b] *Innocent. epiſt. ad Victricium.*

ſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, poſt iudicium Epiſcopale referatur. Itemq; in reſpõſione ad idem Concilium Mileuitanum: [a] *Quoties,* ait, *Fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres, & Coëpiſcopos noſtros, non, niſi ad Petrum; id eſt, ſui nominis & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio.* Itemq; in reſponſione ad Cõcilium Carthaginienſe: [b] *Quod illi (Patres) non humana ſed diuina decreuere ſententia, vt quicquid de diſiunctis remotiſq; prouincijs ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad huius ſedis notitiam perueniret, vbi tota huius auctoritate iuſta quæ fuerit pronunciatio firmaretur.* Quæ omnia S. Auguſtinus, qui Mileuitani Concilij Secretarius fuit, vt vera & legitima agnoſcit: [c] *Miſſæ ſunt itaque,* inquit, *de hac re ex duobus Concilijs, Carthaginienſi & Mileuitano, relationes ad Apoſtolicam ſedem, &c. Scripſimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter Conciliorum relationes, litteras familiares, vbi de ipſa cauſſa aliquanto diutius egimus. Ad omnia nobis ille reſcripſit* eodem

[a] *Idem in epiſt. ad Epiſc. qui Mileuitan. Synod. interfuerũt inter epiſto. Aug. 93.*

[b] *Idẽ in ep. ad Epiſcopos, qui in Concil. Carthag. affuerunt, inter ep. Aug. 91.*

[c] *Auguſtin. epiſt. 106.*

eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ sedis Antistitem. Quod S. Augustinus haud quaquam fecisset, si quid contra hasce responsiones Mileuitanum Concilium decreuisset. Ac de examine accusationis Domini du Plessis hactenus.

Reliqua est Decreti purgatio, pro cuius exordio eum admonebo, si tam discendi fuisset quàm carpendi studiosus, ipsum à viginti annis cùm hanc obiectionem fecit, inuenturum fuisse; In primis hæc verba, *Nisi fortè Romanam sedem appellauerint*, quæ Mileuitano Concilio addita Gratiano adscribit, in antiquis Decreti manuscriptis, & in antiquis editionibus impressis nota disiunctionis ac paragraphi à verbis Concilij distincta esse, prætereaque miniatâ litterâ capitali insignita, ad ostendendum non esse hæc Canonis, sed Gratiani verba: Deinde in caussa 11. quæstione 3. vbi Gratianus integrum hoc Decretum repetit, illud absque hac clausula producere: qua re eam se in corpus articuli

culi inſerere noluiſſe teſtatur: Tertiò, In omnibus nouis exemplaribus tam Romanis, quàm Pariſiẽſibus & Lugdunenſibus non modo hanc clauſulam alio charactere, nimirum Italico, impreſſam eſſe; verumetiam monitionem eſſe additam ad Lectorem, illa non eſſe Concilij, ſed Gratiani verba, quæ ipſe pro ſuo more, ponticuli ac tranſitus inſtar, inter hunc Canonem, & eum, qui ſequitur, Concilij Sardicenſis interponit. Pro cuius euidentia ſciendum eſt in Concilio Sardicenſi, quod habitum eſt anno à morte Chriſti quartodecimo ſupra trecenteſimum, conditum eſſe canonem admodum celebrem, qui ad appellationes pertinet Epiſcoporum, qui in omnibus manuſcriptis Gręcis, tam [a] Orientis quàm [b] Occidentis inſertus eſt; itemq; in omnibus impreſſionibus [c] Græcis, ſiue Tigurina, ſiue locorum aliorum; Item in omnibus Conciliorum editionibus [d] Æthiopicis, [e] Syriacis, & [f] Latinis; ac citatus reperitur per [g] Fulgentium

[a] *Manuſcr. antiquiſs. Græc. Bibliothe. Medic. allatum ex Bibliot Conſtantinopol.*

[b] *Manuſcr. antiquiſs. Bibliothecæ Pictauienſ.*

[c] *Impr. græc. Tigurin. & Pariſien & alib.*

[d] *Impr. Latin. Mog. Pariſ. Colon. Baſi. Venet. & alibi.*

[e] *Manuſcr. Æthiopic. antiquiſs. Romæ in Seminar. Æthiop.*

[f] *Manuſcr. Syriac. antiquiſſ in Bibliothec. Magni Duc. Hetrur.*

[g] *Fulgent. Ferrand. in breu. canon. tit. 59.*

Ferrandum Africanum, abhinc mille centum annos; & pòst per [a] Crescónium itidem Africanum, abhinc mille annos; & pòst per [b] Carolum Magnum in Capitulari, abhinc octingentos annos; & postmodum per Photium [c] Ecclesiæ Græcanicæ Patriarcham, in Nomocanone, abhinc septingentenos annos; & post eos omnes per [d] Zonaram, [e] Alexium, [f] Iuonem, [g] Harmenopulum; [h] Balsamonem, aliosq; Conciliorum compilatores, ac commentatores Gręcos & Latinos, qui eum abhinc añis quadringentis quingentisq; hisce ipsis verbis retulerunt: ἤρεσεν, ἵν' εἴ τις ἐπίσκοπος καταγγελθείη, καὶ συναθροισθέντες οἱ ἐπίσκοποι τῆς ἐνορίας τῆς αὐτῆς τοῦ βαθμοῦ αὐτὸν ἀποκινήσωσιν. καὶ ὥσπερ ἐκκαλεσάμενος καταφύγῃ ἐπὶ τὸν μακαριώτατον τῆς ῥωμαίων ἐκκλησίας ἐπίσκοπον, καὶ βουληθείη αὐτοῦ διακοῦσαι, δίκαιόν τε εἶναι νομίσῃ ἀνανεώσασθαι αὐτοῦ τὴν ἐξέτασιν τοῦ πράγματος, γράφειν τούτοις τοῖς ἐπισκόποις καταξιώσῃ τοῖς ἀγχιστεύουσι τῇ ἐπαρχίᾳ, ἵνα αὐτοὶ ἐπιμελῶς, καὶ μετὰ ἀκριβείας ἕκαστα διερευνήσωσιν,

[a] Cresconiꝰ in breu. can. tit. 149. & 153.
[b] Carol. Magnus in Capit. l. 7. titu. 318.
[c] Photius in nomocano. tit. 9. c. 6.
[d] Zonar. auctor Græc. in Concil. Sard. c. 5.
[e] Alexius Aristen. diaco. Constantinop. in Synoptic.
[f] Iuo Carnot. p. 5. c. 27
[g] Harmeno. Thessal. in epitom. can. tit. 4.
[h] Balsam. Patriarch. Antioch. in Concil. Sardic. c. 5.

νήσωσιν, καὶ κατὰ τὴν τῆς ἀληθείας πίστιν ψῆφον περὶ τοῦ πράγματος ἐξενέγκωσι. εἰ δέ τις ἀξιῶν καὶ πάλιν αὐτοῦ τὸ πρᾶγμα ἀκουσθῆναι, καὶ τῇ δεήσει τῇ ἑαυτοῦ τὸν ῥωμαίων ἐπίσκοπον κινεῖν δόξῃ, ἀπὸ τοῦ ἰδίου πλευροῦ πρεσβυτέρους ἀποστείλοι, ἵνα ἐν τῇ ἐξουσίᾳ αὐτοῦ τοῦ ἐπισκόπου, ὅπερ αὖ καλῶς ἔχειν δοκιμάσῃ καὶ ὁρίσῃ δεῖν ἀποσταλῆναι σὺν μετὰ τῶν ἐπισκόπων κρινοῦντας, ἔχοντάς τε τὴν αὐθεντείαν τούτου παρ' οὗ ἀπεστάλησαν. καὶ τοῦτο θετέον. εἰ δὲ ἐξαρκεῖν νομίσοι πρὸς τὴν τοῦ πράγματος ἐπίγνωσιν, καὶ ἀπόφασιν τοῦ ἐπισκόπου ποιήσει, ὅπερ αὖ τῇ ἐμφρονεστάτῃ αὐτοῦ βουλῇ καλῶς ἔχειν δόξῃ. [a] *Placuit autem, vt si Episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint, si appellauerit, qui deiectus est, & confugerit ad beatissimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, & voluerit se audiri: si iustum putauerit, vt renouetur iudicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & altera prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnia requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quòd si is, qui rogat causam suam iterùm audiri, deprecatione*

[a] Concil. Sard. c. 7. pr. Tigur. c. 4.

ſua mouerit Epiſcopum Romanum, vt è latere ſuo Presbyteros mittat, erit in poteſtate ipſius Epiſcopi, quid velit & quid æſtimet. Et ſi decreuerit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis iudicent, vt habeant etiam authoritatem perſonæ illius, à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si verò crediderit Epiſcopos ſufficere, vt negotio terminũ imponant, faciet, quod ſapientiſſimo conſilio ſuo iudicauerit. Non quòd ius illud de cauſſis Epiſcoporũ cognoſcendi poſt iudicia Conciliorum prouinciarum & nationum tum primùm Papæ delatum ſit; ſed quòd illud à Concilio Sardicenſi approbatum atque agnitum fuerit. Etenim Sozomenus au-ctor Græcus, natus eodem ſæculo, Iulium Papam primum teſtatur compluribus annis ante Sardicenſe Concilium vi ſedis ſuæ priuilegiorum reſtituiſſe: Ἀθανάσιος δὲ φεύγων ἐκ τῆς ἀλεξανδρείας εἰς ῥώμην ἀφίκετο. κατ' αὐτὸ δὲ συνέβη καὶ παῦλον τὸν κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον συνδραμεῖν, καὶ μάρκελλον τὸν ἀγκύρας καὶ ἀσκληπᾶν τὸν γάζης, &c. μαθὼν δὲ ὁ ῥωμαίων ἐπίσκοπος τὰ ἑκάστου ἐγκλή-

ἐγκλήματα, &c. ὡς ὁμοδόξους αὐτῷ εἰς κοινωνίαν προσήκατο. [a] S. Athanasium Patriarcham Alexandrinum, Paulum Episcopum Constantinopolitanum, Marcellum Ancyranum in Galatia Primatem, Asclepam Gazensem in Palæstina Episcopum, Lucium Episcopum Adrionopolitanũ à diuersis Orientalibus factionis Arianæ Concilijs depositos, eisque Episcopatus suos reddidisse. οἷα δὲ τῆς πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης, διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν ἐκκλησίαν ἀπέδωκε. *Cùm*, inquit, *propter sedis dignitatem cura omnium ad Romanum Episcopum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit.* Verùm hoc aliò pertinet. Jam verò Concilium Sardicense, & antiquius, & multo maioris erat auctoritatis, quàm Mileuitanum Concilium. Omnes enim Patriarchę, Antiocheno, qui Arianus erat, excepto, aut ipsimet, aut per Legatos suos ei interfuerunt: & vnà cum ipsis trecenti, circiter, Episcopi, ex omnibus orbis prouincijs deputati. Atque ideo [b] Seuerus

[a] *Sozo. hist. Eccles. lib. 3. cap. 7.*

[b] *Seuer. sculpit. hist. l. 2. Iubet. ex toto orbe apud Sardicam Episcopos congregari.*

a Socrat. l. 2. cap. 20.
b Iustin. in edict. de fid.
c D. Athan. Apol. 2.
d Vigil. cont. Eut. lib 5.
e Theodor. hist. Eccl. l. 2. cap. 8.

rus Sulpitius; a Socrates, (ῥύσεται αὖθις οἰκουμενική, σύνοδος ὡς ἐπὶ τὴν Σαρδικήν.) & Imperator b Iustinianus vniuersalis illud Concilij titulo afficiunt: καὶ τῆς ἐν σαρδικῇ οἰκουμενικῆς συνόδου. Sanctusq; c Athanasius illud magnum Sardicense Conciliũ appellat: ἐν τῇ μεγάλῃ συνόδῳ τῇ ἐν σαρδικῇ. & d Vigilius antiquus Episcopus Tridentinus id omnium terræ prouinciarum Concilium vocat: & ipsamet Concilij inscriptio hunc in historia Theodoreti titulum præfert; ἡ ἁγία σύνοδος ἡ κατὰ θεοῦ χάριν ἐν σαρδικῇ συναχθεῖσα, ἀπό τε ῥώμης, καὶ σπανίας, καὶ γαλλίας, ἰταλίας, καμπανίας, καλαβρίας, ἀφρικῆς, σαρδανίας, παννονίας, μυσίας, δακίας, δαρδανίας, ἄλλης δακίας, μακεδονίας, θεσσαλίας, ἀχαΐας, ἠπείρων, θράκης, ῥοδόπης, ἀσίας, καρίας, βιθυνίας, ἑλλησπόντου, φρυγίας, πισιδίας, καππαδοκίας, πόντου, φρυγίας ἄλλης, κιλικίας, παμφυλίας, λυδίας, νήσων κυκλάδων, αἰγύπτου, θηβαΐδος, λιβύης, γαλατίας, παλαιστίνης, ἀραβίας, &c. e *Sancta Synodus Sardicæ Dei gratia coacta, à Roma, Hispania, Gallia, Italia, Campania, Calabria, Africa,*

Africa, Sardinia, Pannonia, Mysia, Dacia, Dardania, altera Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiris, Thracia, Rhodopa, Asia, Caria, Bithynia, Hellesponto, Phrygia, Pisidia, Cappadocia, Ponto, Phrygia altera, Cilicia, Pamphilia, Lydia, Insulis Cicladibus, Ægypto, Thebaide, Libya, Galatia, Palæstina, Arabia. Et quod amplius est, Gratus Archiepiscop⁹ Carthaginæ, & totius Africæ Primas, ei ipsemet intererat, vt S. Athanasius in secunda sua Apologia notat, & vt ipsemet in primo Carthaginiensi Concilio testatur Gratus: [a] *Memini,* inquit, *in sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, vt nemo alterius plebis hominem vsurpet:* & cum eo trigintaquinque Episcopi Africani, ex vniuersa Africa, vt inquit [b] S. Athanasius, designata. Quapropter & Concilium Mileuitanum, & vniuersa Ecclesia Africana, præcipuè, & magis, quam vlla alia ad Decreta huius Concilij obseruanda obligabatur: tametsi tempore quodam vera illius exempla in Africa disparuerant, malitiâ & collu-

[a] *Conc. Carthag. 1. c. 5.*

[b] *Athanas. Apol. 2.*

ſione Arianorum atque Donatiſtarũ, qui in eorum vicem certum quoddam Arianorum, Philippopoli prope Sardicam habitum Conciliabulum, euulgauerant, quod ipſi Sardicenſe Concilium indigitabant, vt è ſcriptorum [a] D. Auguſtini collatione cum ſcriptis [b] S. Athanaſij, [c] auctorumq́; hiſtoriæ Eccleſiaſticę colligitur. Gratianus igitur hunc canonem Concilij Mileuitani reperiens, exiſtimansq́; eum aduerſus Concilij Sardicenſis canonem quodammodo arietare, eo quòd alterum non animaduerteret de clericis inferiorib. loqui, alterum de ſuperioribus: iudicansq́; cõuenire magis alterum modificare p alterũ, quàm alterius reſpectu antiquare alterum; hac in re ſibi id faciẽdum putauit, quod in omnibus alijs eiuſdem modi rebus fieri æquum eſt, nempe, minùs expreſſum, minusq́; authenticum per magis expreſſum, magisq́; authenticum modificare: Ac propterea ad canonẽ Concilij Mileuitani (ἄλλην ἐπαρχίαν μὴ ἐκκαλεῖσθαι, εἰ μήπου

δόξει

[a] Aug. epiſt. 163. et cont. Creſc. lib. 3. cap. 34.
[b] Athanaſ. Apol. 2.
[c] Socr. l. 2. c. 16. & alij.

δόξει τῷ ῥώμης, καὶ παρ᾽ ἄλλοις τοῦτον κρι-
θῆναι. *Balsam. in Concil. Sardic. c. 5.* ὁ πα-
ρὼν δὲ κανὼν φησὶν ὅτι ἐὰν καταδικασθῇ τὶς
παρὰ ἐπαρχεώτων ἐπισκόπων, καὶ ἐκκαλέ-
σηται πρὸς τὸν πάπαν, &c.) [a] hanc exce-
ptionem ex ſucco & ſubſtantia Con-
cilij Sardicenſis expreſſam, *Niſi fortè
Romanam ſedem appellauerint*, adiunxit.
Nō enim omnes cauſſæ, quæ ex Afri-
ca prodibāt, immediatè Romam de-
ferebantur, vti notat [b] Alexius, ὥρι-
σεν ἡ ἐν ἀφρικῇ σύνοδος τοὺς ἐπί τισιν αἰ-
τίαις παρὰ τῶν ἰδίων ἐπισκόπων καταδικα-
σθέντας κληρικοὺς, &c. μὴ πέραν θαλάσσης,
πρὸς τὸν ῥώμης τυχὸν ἐπίσκοπον, ἢ τοὺς
λοιποὺς, ἐκκαλεῖσθαι. planumq́; fit ex
eo, quod nuper D. Auguſtinus dice-
bat; [c] *Cæcilianum potuiſſe aliorum Colle-
garum iudicio, præſertim Apoſtolicarum
Eccleſiarum, cauſam ſuam integram reſer-
uare*: Et paullo antè; *Eum & Romanæ
Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ cathe-
dræ viguit principatus, & cæteris terris,
vnde Euangelium ad ipſam Africam venit,
per communicatorias litteras fuiſſe coniun-
ctum, vbi paratus eſſet cauſam ſuam dicere,*

[a] *Harmeno: tit. 4. in cá. 3. Conc. Sardicenſ.*

[b] *Alex. Ariſten. in Concil. Carth. cap. 28.*

[c] *Auguſtin. epiſt. 162.*

si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur. Atque idem Gratianus hanc exceptionem non in textu, sed in canonis expositione inseruit, hoc est, non vt editionem corrumperet, sed vt illius executionem in simili casu restringeret. Et ne quis eam pro textu Concilij accipiendo deciperetur, distinctionis & paragraphi notam interposuit, atque initium clausulæ capitali rubricatâ insigniuit, prout solet, cum ab Auctoribus ad se ipse transfert orationem. Quid iam in hisce omnibus falsi inest, præter calculum Domini Plessij?

OBIECTIO II.

Dominus Plessius 3. edit. p. 70.

In canone 73. (Ita citat ille canonem tertium Cõcilij, quod quintum Carthaginiense inscribitur, in istius rapsodiæ Græcæ 73. articulo repetitum, quam is pro tertio Carthaginiensi accipit) *dictum erat; Placuit Episcopos & Diaconos, in proprijs terminis, etiam ab vxoribus abstinere. Vnde apparebat coniugatos*

iugatos fuisse, atque non obstantibus ordinibus coniuges retinuisse, sed cùm ad eos ordo ministerij peruenisset, ab illis abstinuisse, quod etiam conforme est canoni Concilij sexti. Qua fide igitur potuit id inseri in Decreto, d. 32. Placuit, has voces, In proprijs terminis, hoc est, in ordine ministerij sui, in quibus tota sententia consistit, amputando; vt in Matrimonij locum Cœlibatus introduceretur?

Fierine potest, vt iste Collationis stupor ita vehementer simul & oculos, & memoriam, & iudicium turbauerit Domini Plessij, vt nulla ei suarum facultatum scintilla relicta sit? Gratianus, inquit, corrupit, & falsò citauit Canonem tertium Concilij Carthaginiensis quinti. Et quamob rem? Quia eum ex originali textu retulit, non autem ex versionis vitiosa conuersione allegauit: Quia eũ cum his verbis citauit, *secundũ ꝑpria statuta*; quæ sunt ipsamet Concilij verba, non autem cum his, *in proprijs terminis*, quę in eo nec audita fuêre vnquam, nec visa. O fabulam! O nugas! Concilium

lium Carthaginienſe quintum, quod Latinè, vti ſciunt omnes, celebratum fuit, canonem de Preſbyterorum cælibatu hiſce formalibus & diſertis verbis expreſſit: [a] *Placuit Epiſcopos & Preſbyteros & Diaconos ſecundum propria ſtatuta* vel, *priora ſtatuta etiam ab vxoribus abſtinere*. Et ita habent omnia antiqua exemplaria manu ſcripta Conciliorum: & ita referunt omnes editiones typis excuſæ, ſeu Pariſijs, ſeu Baſileæ, ſeu Venetijs, ſeu Coloniæ: Et ita legerat S. [b] Auguſtinus Africanus, abhinc mille ducentos annos: Et ita legerat [c] Fulgentius Ferrandus Africanus, abhinc mille centum annos: Et ita legerat [d] Creſconius Africanus, abhinc mille annos: Et ita [e] veteres canoniſtæ Græci clauſulam hanc, *ſecundum propria ſtatuta*, hiſce verbis, κατ' ἰδίους ὅρους, exprimentes. Græcum enim vocabulum, ὅρος, ſtatutum, canonem, conſtitutionem ſignificare, nulli ſunt alij teſtes requirendi, quàm illi ipſi, qui hoc in eodem opere ſtatuta Concilij Nicæni, ὅρους τῆς ἐν νικαίᾳ συνόδου,

[a] *Concil. Carth. 5. c. 3.*

[b] *Vid. infrà fol. 84.*

[c] *Vid. infrà fol. 85.*

[d] *Vid. ibid.*

[e] *Rapſod. Græc. Conc. Carth. c. 25. & 71. vel, ſecundum alios, cap. 28 & 74.*

συνόδου, appellant: Et ita Tigurini Interpretes in editione ſua Gręca & Latina, hanc denuo clauſulam ex verſione Græca conuertentes, *κατ' ἰδίους ὅρους*, per haſce, [a] *ſecundum ſua ſtatuta*, &, *ſecundum ſuos canones*, tranſtulerunt: Et ita Dominus du Pleſſis ipſemet, non ſolùm agnoſcit, ſed proteſtatur etiam: [b] Nam in ſecundo libro ſui operis contra Miſſam, pro fundamento ponit, vera Concilij verba eſſe, *ſecundum priora* (aut *propria*) ſtatuta: Et hic inclamat aduerſus Gratianum de falſo, eo quod quemadmodum ipſe, ſic ille allegauerit. Non hoc exſibilari potius quàm refutari meretur? Tãtæ igitur abſurditatis origo eſt eiuſmodi.

[a] *Rapſ. græc. plat. Concil. Carthagin. impr. Tigur. c. 25. & 27.*

[b] *Dominus Pleſſius in opere de Euchariſt. l. 2. c. 9. p. 319. editionis primæ.*

Socrates, auctor hæreticus, ſectæ Nouatianorum, vti [c] Nicephorus, & ſua ipſius ſcripta teſtantur, hiſtoriam referens primi Concilij Nicæni dicit, (& poſt eum Sozomenus: nullus enim, qui ante Socratem ſcripſerit, eius rei facit mentionem) [d] Patres huius Concilij nouam legem in Eccleſiam

[c] *Nic. hiſto. Eccl. libr. 6. & 9.*

[d] *Socr. hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 11.*

cleſiam

clesiam introducere voluisse, nempe, vt Episcopi, Presbyteri, ac Diaconi ab vxoribus abstinerent, quas, cũ adhuc laici essent, duxerant: verùm se se Paphnutium opposuisse; atque post multas alias rationes addidisse, satis fore, si antiqua Ecclesiæ traditio seruaretur, quæ erat, vt nemini, postquam Ordinibus initiatus esset, inire matrimonium liceret: Cuius sententiam approbasse Concilium, assensisseq́;, vt sua Ecclesiasticis libertas præcedentium coniugum vsum retinendi abdicandiúe remaneret.

Dicit etiam alibi idem [a] Socrates, solummodo in Thessalia, & in quibusdam finitimis prouincijs, legem hãc, vt Ecclesiastici à coniugibus, quas ante suam promotionem duxerant, necessariò abstinerent, receptam fuisse. Iam verò, an hæc sit impostura, quam Socrates adinuenerit, vt obliquè Nouatianorum hæresi faueret, (qui Clericorum disciplinam Laicorumq́; in matrimonij rebus æquabant, ideoq́; S. [b] Epiphanius ijs exprobrabat, ipsorum

[a] Socr. hist. Eccles. lib. 5. cap. 22.

[b] Epiph. contra Nouat. hære. 59.

ſorum ſectam inſtar eſſe mulieris, quę calceamenta capiti, coronam autem pedibus circundaret;) diſputare hîc nec l ber, nec pen tempus licet. Tantummodo proteſtabor, Patres omnes, qui ſæculo Concilij Nicæni ſcripſerunt, quod abhinc mille ducentis ſeptuaginta tribus annis celebratum eſt, ampliùs centum viginti annis antè Socratis editionem, Socratem in hoc articulo mendacij formaliter arguere. S. Auguſtinus in cenſura de adulterinis coniugijs, quam in Africa abhinc annos circiter mille & ducẽtos conſcripſit, de laicis loquens, qui repudiatis vxoribus, pro ſecundarum nuptiarum excuſatione incontinentiam ſuam allegabant; [a] *Solemus*, inquit, *eis proponere etiam continentiam clericorum: qui plerumque ad eandem ſarcinam ſubeundam capiuntur inuiti, eamque ſuſceptam vſque ad debitum finem, Domino adiuuante, perducunt. Dicimus ergo eis, Quid ſi & vos ad hoc ſubeundum populorum violentia caperemini, nonne ſuſceptum caſtè cuſtodiretis officium, repentè conuerſi*

[a] *Auguſt. de adult. coniug. lib. 2. c. vltim.*

ad im-

ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquam antea cogitastis? S. Hieronymus, in libro primo contra Iouinianum, quem in Asia abhinc mille ducentos & decem annos conscripsit; *Certè*, [a] inquit, *confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat: alioquin, si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur:* Et iterùm: [b] *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium in æternum pudici:* Et in epistola secunda cõtra Vigilantium; *Quid* [c] *facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti; & sedis Apostolicæ,* (hoc est, trium antiquarum Patriarchaliũ orbis terræ portionum) *quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* S. Chrysostomus Presbyter Antiochenus, & postmodum Episcopus Constantinopolitanus, in secunda homilia de patientia Iob, quam & eodem in loco, & eodem tempore scripsit: [d] *Dixit (Apostolus) & vnius vxoris virum: non ea ratione, quod id nunc in Ecclesia obseruetur.*

[a] *Hier. adu. Iouin l. 1.*

[b] *Idem ad Pam. pro libris aduers. Iouin.*

[c] *Idem adu. Vigil. ep. 2.*

[d] *Chrysost. de patient. Iob, hom. 2.*

tur. Oportet enim omni prorsus castitate sacerdotem ornatum esse. S. Ambrosius Archiepiscopus Mediolanensis in primo Officiorum libro, quem in Europa abhinc mille ducentis & viginti annis conscripsit: [a] *Inoffensum autem exhibendum & immaculatum ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio coniugali, sacri ministerij gratiam recepistis. Quod eo non præterij, quia in plerisque abditioribus locis cùm ministerium gererent, vel etiam sacerdotium, filios susceperunt.* S. Epiphanius Episcopus Salamine, in libro contra hæreses, quem in Cypro abhinc mille circiter, & ducentos ac triginta annos scripsit: ἀλλὰ καὶ τὸν ἔτι βιοῦντα (*lege* συμβιοῦντα) καὶ τεκνογονοῦντα μιᾶς γυναικὸς ὄντα ἄνδρα, οὐ δέχεται, ἀλλὰ ἀπὸ μιᾶς ἐγκρατευσάμενον ἢ χηρεύσαντα, διάκονόν τε καὶ πρεσβύτερον, καὶ ἐπίσκοπον καὶ ὑποδιάκονον, μάλιστα ὅπου ἀκριβεῖς κανόνες οἱ ἐκκλησιαστικοί. [b] *Sancta Dei Ecclesia* (inquit contra Nouatianos disputãs) *adhuc viuentem & liberos gignẽtem vnius*

 vxoris

[a] *Ambr. de offic. libr. 1. c. ult.*

[b] *Epiph. hær. 59. cont. Nouatian.*

vxoris virum nō ſuſcipit, ſed eum, qui ſe ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, & Presbyterum, & Epiſcopum, & Hypodiaconum, maximè vbi ſynceri ſunt canones Eccleſiaſtici. Euſebius Epiſcopus Cæſareę in Palęſtina, qui ipſemet Concilio Nicæno abhinc ampliùs mille ducentos & ſeptuaginta annos intererat: τούτοις ἀναγκαίως τὰ νῦν διὰ τὴν περὶ τὰ κρείττω σχολὴν, ἡ τῶν γάμων ἀναχώρησις σπουδάζεται ἅτε περὶ τὴν ἔνθεον καὶ ἄσαρκον παιδοποιΐαν ἀσχολουμένοις. [a] *In præſentia*, inquit (nimirum Euangelij tempore) *diuini verbi prædicatoribus neceſſariò, vt meliorib. ſtudijs vacent liberius, ſeiunctus à re vxoria victus adamatur, veluti ijs, qui diuina & incorporea ſobole propaganda, occupati teneantur.* Et paullo poſt: καὶ κατὰ τοὺς τῆς καινῆς διαθήκης νόμους, οὐ πάμπαν ἀπηγόρευται τὰ τῆς παιδοποιΐας, &c. χρῆναι γάρ φησιν ὁ λόγος τὸν ἐπίσκοπον γεγονέναι μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα. πλὴν ἀλλὰ τοῖς ἱερωμένοις, καὶ περὶ τὴν τοῦ θεοῦ θεραπείαν ἀσχολουμένοις ἀνέχειν λοιπὸν σφᾶς αὐτοὺς προσήκει τῆς γαμικῆς ὁμιλίας. *Non quòd noui Teſtamenti legibus, quæ ad ſuſceptionem*

[a] Euſeb. de demonſtr. Euang. l. 1. cap. 9.

ptionem liberorum pertinent, omnino interdicantur, &c. Oportet enim, inquit sermo diuinus, Episcopum vnius vxoris virum esse. Verumtamen eos, qui sacrati sint, atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps seipsos à cõmercio vxoris decet. Quin & ipsummet Concilium [a] Nicænum: ἀπηγόρευσεν καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος, μὴ ἐπισκόπῳ πρεσβυτέρῳ, μήτε διακόνῳ, μήθ' ὅλως τῶν ἐν τῷ κλήρῳ τινὶ, ἐξεῖναι συνείσακτον, ἔχειν, πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα, ἢ ἀδελφὴν, ἢ θείαν, ἢ ἃ μόνα πρόσωπα διαπέφευγε πᾶσαν ὑποψίαν. [a] *Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in clero est, licere, subintroductam habere mulierem, nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ suspiciones effugiunt.* Nam quoad Decretum Concilij Gã-[b]grensis, in quo dicitur: εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, &c. ἀνάθεμα ἔστω. [a] *Si quis discernit Presbyterum coniugatum, tanquam occasione nuptiarũ, quòd offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo se abstinet, anathema sit:* quem

[a] Concil. Nicæn. I. can. 8.

[b] Concilium Gangr. canon. 4.

locum nonnulli, vt Socrati patrocinentur, adferre consueuerunt; In Græco habetur per præteritum tempus, γεγαμηκότος, quod istic significat, quidquid Socratis aliorumq; Græcorum in hac caussa partialiũ expositio velit, *Qui vxorem habuit*. Quotquot enim pręsens Matrimoniũ in criminibus ducebant, atque obstaculum esse comunionis cũ laicis, quales Eustathiani, contra quos Conciliũ istud celebratum fuit; ijdem matrimonium præteritum probrum esse & Ecclesiasticorum promotioni, quorum non præsens modò sed etiam anteacta vita irreprehensibilis esse debuerat, obstare arbitrabantur. Ac propterea hoc idem Concilium, de coniugatis laicis loquens, quos à communione ac salute Eustathiani excludebant, hisce verbis præsentibus vtitur: ὅτι οὐδεὶς τῶν ἐν γάμῳ ὄντων ἐλπίδα παρὰ τῷ θεῷ ἔχει. [a] *Qui sit in coniugio*, & τὴν καθεύδουσαν μετὰ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς, &c. ὡς ἂν μὴ δυναμένην εἰς βασιλείαν εἰσελθεῖν. *quæ* [b] *cum marito suo dormiat*: Loquens autem

[a] *Concilium Gangrens. in præf.*

[b] *Idem c. 1.*

autem de Presbyteris, hisce vtitur verbis præteritis, γεγαμηκότος, & γεγαμηκότων, hoc est, eo quidem in loco, *qui in cõiugio fuerint:* Et ita vertit[a] Dionysius Exiguus, qui abhinc mille septuaginta quinque annos scribebat: Et ita vertit[b] Cresconius, qui abhinc mille annos scribebat: Et ita vertit editio[c] Græca ac Latina Tigurina, ab ipsismet aduersarijs nostris confecta.

Græci nihilominus posteriores, qui gaudebãt se prætextum aliquem reperire à Latinis se se remouendi, super hoc historię Socratis fundamento distinctionem illam exstruere in animum induxerunt, quam hodieq; obseruant, nimirum, vt nemo, postquam est Presbyter aut Diaconus, inire Matrimonium possit: sed qui antè quàm promouerentur, coniugati fuerint, modò id primis & vnis nuptijs, vti possint vxoribus, quas antè duxerint. Et hoc quidem quoad Presbyteros tantùm. Nam quoad Episcopos illorum, ipsi antè quàm cõsecrari possint, perpetui cœlibatus

[a] *Conc Gãg. c. 4. ex vers. Diony. Exi. Quicunque discernit à presbytero, qui vxorem habuit, etc.*

[b] *Cresc. tit. 111. de presbyteris qui habuerint coniugia. Conc. Gang. tit 4.*

[c] *Edit. Tig. A presbytero qui vxorem habuit.*

[a] *Concilij Constant. in Trullo cap. 12.*

votum emittunt: εἴ τις φωραθείη τὸ τοιοῦτο πράττων (τοῦτ' ἐστὶ συνοικῶν τῇ ἰδίᾳ γαμετῇ μετὰ τὴν ἐπ' αὐτῷ προσελθοῦσαν χειροτονίαν προεδρείας) καθαιρείσθω. [a] *Si qui Præsules* (inquit Concilium Græcorum habitum in Trullo) *postquam ad eos processit ordinatio, vnà cum vxoribus habitare deprehensi fuerint, deponantur.*

[b] *Zonar. in Concil. in Trull. c. 12.*

Et Zonaras in eundem articulum; Κωλύει τοὺς ἀρχιερεῖς μετὰ τὴν χειροτονίαν συνοικεῖν ταῖς πρὸ τῆς ἱερωσύνης γυναιξὶν αὐτῶν. [b] *Prohibet Episcopos post ordinationem cohabitare vxoribus, quas antè sacerdotium duxerant:* Et iterùm: καὶ μὴ μόνον εὐνῆς αὐταῖς μὴ κοινωνεῖν μηδὲ μίξεως, ἀλλὰ μηδὲ συνοικεῖν αὐταῖς καὶ ἐν τῇ αὐτῇ κατοικίᾳ ζῆν. *Et non solùm participem esse lecti, neq; commixtionis, sed neq; ipsis cohabitare, & in eadem domo viuere:* Itemq; Cedre-

[c] *Cedrē. hist. in Concil. Nicæn.*

nus ipse, quod ad Episcopos attinet, Socratem mendacij condemnans συνόδου κανονίσαι θελούσης ὥστε κληρικὸν μὴ συνέρχεσθαι γυναικὶ πρὸς γάμον, ὡς βαρὺν τὸν λόγον Παφνούτιος ἀνέτρεψε, καὶ μόνοις ἐπισκόποις ἐτύπωσε τοῦτο παραφυλάττεσθαι, [c] *Paphnutius*, inquit, *cum vellet Concilium*

lium decernere, vt clerici nuptijs abstinerent, eam sententiam vt duram refutauit, auctorq; fuit, vt cælibatus solis iniungeretur Episcopis. Jam huic Græcorum, quam prætendebant sententiæ obuiam ibat Concilium Carthaginiense quintum, quod decernit, *vt Episcopi, & Presbyteri & Diaconi, & ceteri, qui sacramenta tractant, secundum propria statuta etiam ab vxoribus abstineant.* Ergo quid ad hoc Græci? Scietis, lectores. Qui rapsodiam istam canonum, quæ Concilium Africanum dicitur, in qua tertius articulus quinti Carthag. Concilij insertus est, Græcam fecit, cõuerterat, vt iam antè indicatum est, vocem Latinam, *statuta*, per Græcam, ὅρυς. Atqui nomen ὅρος, ambiguum est, & significabat *statutum*, & præterea *terminum* significare poterat. Græci igitur, qui Constantinopolim sub Iustiniano secundo cõuenerant, vt canones Concilio sexto Oecumenico, de quo Dominus du Plessis loquitur, adscriptos digererent; quod Concilium cùm multis

antè annis celebratum fuiſſet, neque ipſi originale Latinum Concilij Carthaginienſis haberent, conſtituerunt ex amphibolia traductionis compendium ſuum facere, & vocem, ὅρος, accipere pro *termino*, atque canonem iſtum in hanc ſententiam modificare; *vt Eccleſiaſtici in proprijs terminis ab vxoribus abſtinerent*: Et vt hanc ſubtilitatem magis colorarent, Conſtantinopoli inſtituerunt, vel ipſi, vel eorum ſucceſſores, quoſdam Presbyteros alternantes, qui hebdomadatim atque in orbem miniſteria obirent. *Magna* [a] *quoque Eccleſia*, inquit Balſamon commentator Græcus, *hac ratione ſacerdotum miniſteria diuidit in hebdomadas. Quare qui non per ſeptimanam, ſed ſingulis diebus ſacra celebrant, tenentur canone, vt qui omnino cum proprijs vxoribus verſentur, & apertè offendant, tanquam non continentes, licet reuera contineant.* Itaque Gentianus Heruetus cùm recens Balſamonis commentarium in hunc articulum cōuertiſſet, animaduerteretq; ſe, quo gloſſa cum textu

[a] *Balſam. in c. 74. Rapſ. Concil. Carthag. ex verſione Gentian. Heru.*

209
textu concordaret, ad interpretationem editionis Græcæ ad commentatoris mentem accommodandam obligatum esse, *κατ' ἰδίους ὅρους*, latinè reddidit, *in proprijs terminis*. Atque sic Dominus du Plessis, vt est in suis rebus fortunatus, Latinam Gentiani Herueti versionem abhinc quadraginta annos factam accepit pro Latino originali Concilij quinti Carthaginiensis, quod abhinc annos millenos ducentenos celebratum est. Ecquid ad hoc excusationis habet? Nullum est ex oĩbus Concilijs, quæ super hoc argumento conuocata sunt, seu in Africa, seu in Prouincijs Africæ vicinis, quod non per doctrinæ analogiam ostendat huius clausulæ, *in proprijs terminis*, in locum istorum verborum, *secundum priora*, (aut *propria*) *statuta*, suppositionem, manifestam imposturam esse. [a] *Placuit*, inquit Concilium Elibertinum in Hispania habitum, abhinc mille propè & trecentis annis, *in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus*

[a] Conc. Elib. cap. 33.

positis in ministerio, abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios. Et Concilium Carthaginiense secundum in ipsa Africa abhinc mille ducentis & decem annis habitum: (ἤρεσεν ἐπισκόπους, πρεσβυτέρους, καὶ διακόνους, &c. ἐγκρατεῖς εἶναι ἐν πᾶσιν &c. ἵνα καὶ τὸ διὰ τῶν ἀποστόλων παραδοθὲν, καὶ ἐξ αὐτῆς ἀρχαιότητος κρατηθὲν καὶ ἡμεῖς φυλάξωμεν.) [a] *Placuit Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, &c. cõtinentes esse in õibus, &c. vt quod Apostoli docuerunt,* (vel secundũ versionẽ Græcam, *tradiderunt*) *& ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus:* Et iterùm: [b] *Omnibus placet, vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab vxoribus se abstineant:* Et Concilium primum Toletanum, celebratum in Hispania abhinc mille & ducentos annos; [c] *Si qui Diacones etiam ante interdictum, quod per priores ante nos Episcopos constitutum est, incontinenter cum vxoribus vixerint, Presbyterij honore non cumulentur:* Et Concilium secundum Arelatense, eodem sæculo habitum: *Assumi*

[a] Conc. Carthag. 2. sub Cons. 4 Valent. 2 Neot. (de quo perperam fecerũt Theod.) & non, vt quidam doctissimi putarunt, sub 4. Cons. Valent. 3. & Theo. 2. fuit .n. celebratum sub S. Geneth. (vt ait Fulgen. Ferr. de quo malè fecerunt Genediũ) & præsente Victore Pupputã. qui iã senex in Conc. Cartha. sub consulat. Cas. et Atti. Græcè sic in Rapso. Cõc. Carth. c. 3. vel secũdũ alios 1.

[b] Ibidem.

[c] Concil. Tolet. 1. c. 1.

sumi [a] *aliquem ad sacerdotium non posse in vinculo Matrimonij constitutum, nisi fuerit promissa conuersio.* Nullus est ex omnibus antiquis disciplinæ Ecclesiæ Africanæ testibus, qui non deponat cõtinentiam Clericorum Africæ fuisse perpetuam, non autem alternantem & interruptam: [b] *Quid si & vos,* inquit laicis, qui vxores suas repudiauerant, S. Augustinus, *ad hoc subeundum (continentiam clericorum) populorum violentia caperemini, nonne susceptum castè custodiretis officium, repentè conuersi ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquam antea cogitastis?* Et Fulgentius Ferrandus, qui etiam Africanus erat, scribebatq; abhinc mille & centum annos, [c] *vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ab vxoribus se abstineãt: Conc. Carth. titul. 1.* (non ergo modificatum, sed per subsecuta confirmatum) *& Conc. Zell.* Et Cresconius itidem Africanus, abhinc mille annos; [d] *Quod sacerdotes & Leuitæ cũ mulieribus coire non debeãt, ex Decret. Pap. Innoc. tit. 16. Ex Decret. Pap. Leon. tit. 17. Conc. Carth. tit. 25.*

[a] Concil. Arela. 2. c. 2.

[b] August. de adulter. coniug. l. 2. cap. vlt.

[c] Fulg. Ferr. in Breuiat. can. art. 6.

[d] Crescon. in breuic. art. 109.

Nullum

Nullum eſt ex omnibus exemplaribus Concilij quinti Carthaginienſis vel manu ſcriptum vel typis excuſum ſiue Pariſijs, ſiue Moguntiæ, ſiue Coloniæ, ſiue Baſileæ, ſiue Venetijs, ſiue in aliquo alio orbis terrarum loco, in quo nõ habeatur, *ſecundum priora* (aut *propria*) *ſtatuta*, non autem, *in proprÿs terminis*. Imò ipſummet editionis Græcæ argumentum id confirmat, quod abſque vlla temporum aut interuallorum reſtrictione habet, ποῖοι ὀφείλουσι κληρικοὶ γαμετῶν ἀπέχεσθαι. [a] *Quinam Clerici ab vxoribus abſtinere debeant.*

Ipſummet extractum Centuriatorum Germanię conſentit, quod hunc iuxtà Latinum titulum citat his verbis; [b] *Sacerdotes & Leuitæ ab vxoribus abſtineant:* Editio Græcolatina Tigurina id proteſtatur, quæ iſtam verſionis Græcæ clauſulam, κατ' ἰδίους ὅρους, per hanc exprimit, [c] *ſecundum ſua ſtatuta.* Ipſemet Dominus Pleſſius ſubſcribit. Quid dico, ſubſcribit? Conſtituit illud pro baſi ac fundamento verita-

[a] *Tit. 71. canon. Rapſo. Græc. Conc. Carthag.*

[b] *Centur. Magdeb. Cent 5. col. 829. in repe. Concil. Carthag. 5. canon 3.*

[c] *Edit. Græcol. Concil. Tig. in rapſ. Conc. Carthagin. c. 71. Placuit Epiſcopos & Presbyteros et Diaconos ſecundum ſua ſtatuta etiam ab vxoribus ſuis continere.*

veritatis, & ex eo velut ex principio aliquo atque axiomate indubitabili argumentatur. Etenim in operis sui contra Missam libro tertio, capite nono, volens ostendere quintũ Carthaginiense Concilium de Presbyterorum Cœlibatu modestiùs Concilio secundo locutum esse: eo quòd se nõ in Apostolis, sed in præcedentium Conciliorum statutis fundasset, asserit in textu canonis ita haberi, *secundum priora* (aut *propria*) *statuta*: En tibi ipsius verba: *Et in quinto*, inquit, *quod paullo pòst sub Anastasio Papa habitum est, repetitur canon, sed verbis leuioribus, quæ super priora, aut propria statuta (est enim varia lectio) fundantur, & non super Apostolos.* Et nunc, veluti si simul & corporis & mentis oculos perdidisset, vt se Deo ac hominibus deridendũ propinet, Gratianum clamat, canonem quinti Carthaginiensis Concilij corrupisse, eo quòd illum cum his verbis, *secundum propria* (aut *priora*) *statuta*, non autem cum his, *In proprijs terminis*, citauerit. Ad hoc quid aliud dici queat, cùm

Dominus Plessæus l. 2. de Euchar. 1. ed. p. 318.

cùm Dn̄s Plessius auctoribus imponit, cùm eos falsi falsò accusat, quando secum ipse pugnat & seipse confutat, quando perdit memoriam illius quod modò scripsit, cùm ex eodem ore calidum ac frigidum efflat, nisi eum manere *in proprijs terminis?*

OBIECTIO III.

Tertium falsi crimen, cuius Gratianum Dominus Plessius arcessit, est, quòd hic S. Augustino imputauerit, eum inter canonicas scripturas cōnumerasse litteras decretales summorum Pontificum. Et in hoc vno verum dicit. Deprauatum habebat Gratianus D. Augustini exemplum, in quo librarius, pro his, *Quæ Apostolicas sedes*, legerat hæc; *Quas Apostolica sedes*; & vt sensum aliquem inueniret, ante hæc verba, *accipere meruerunt*, inseruerat hæc, *alij ab ea*. Sed nō est quod huius censuræ laudem sibi Dominus du Plessis vindicet: Non enim is est, qui id primus obseruârit, Alphonsus à Castro, ex quo etiam ipse

Alphons. de Castr. cont. har. l. 1. c. 2.

ìpſe in ſuo libro de Eccleſia allegat, multo ante ipſum tempore id notauerat. Et ex illa ſententia Alphonſi à Caſtro Catholici ac Franciſcani, hic error in omnibus nouis Decretis, tam Romanis, quàm Lugdunenſibus, ac Pariſienſibus notatus eſt; lectoresq; admoniti, non ita loqui S. Auguſtinum, vt Gratianus referret. Id quod præclarum Domino du Pleſſis exemplum eſt, vt librorum ſuorum falſitates, cùm earum arguitur, diſcat corrigere. Nam quod ad hoc, quod paullo pòſt adiungit; *Atque huius generis poſſunt illis in Decreto Centuriæ & Chiliades oſtendi*; ſi de ijs Decreti exemplaribus loqui intendit, quæ poſt Gregorij Papæ XIII. reformationem publicata ſunt, ad quæ ſola nos tuènda obligati ſumus, non, ſi quidquid ille virium habet, in id vnum contulerit, quicquam effecerit: At in exemplaribus, quæ reformationē præceſſerunt, ſi dicere vult quædam emendatione digna fuiſſe, nihil magnopere noui nobis commemorat.

Quor-

Quorſum enim illud, ſi nihil in eo reprehendendum fuiſſet, publicè corrigi Pontifex curaſſet? *Emendationem*, (inquit Papa Gregorius XIII.) *Decretorum à Gratiano collectorum (erat enim is liber mendis & teſtimoniorum deprauationibus pleniſſimus) à non nullis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris optimo conſilio ſuſceptam, &c. Multis autem varijsq; impedimentis hactenus retardatam; nunc tandem vetuſtiſſimis codicibus vndique conquiſitis, auctoribusq; ipſis, quorum teſtimonijs vſus erat Gratianus, perlectis, quæq; perperam poſita erant, ſuis locis reſtitutis, magna cum diligentia abſolutam atq; perfectam edi mandauimus.* Quanquam quid mirum, ſi in hoc chaos, quod non eſt ſcriptum continuum, ſed farrago, atq; infinitarum partium hinc inde collatarum congeries; quodq; ab annis ampliùs quadringentis, quibus Canoniſtarũ ſcholis thema ſuppeditat, in tot millenorum diſcipulorum manibus fuit, qui illud aut deſcripſerunt, aut per imperitos librarios deſcribi curarunt, multæ deprauatio-

Grego. Pap. 13 præfa. in Decret.

uatio-

uationes illapsæ sint? Sed multum est discriminis inter eos errores, quos longi temporis decursus, trãscriptionum frequentia, & librariorum ignorantia in aliquod opus introducunt, & inter eos, qui vnà cum ipso opere ex auctoris officina prodeunt. Atq; ita, si Dominus du Plessis, quòd in Decreti exemplaribus, quæ postmodum correcta sunt, errores aliquos inesse diuinauerit, magnum Apollinem se esse putat, longè aberrat; multo etiam longiùs, si ad suos excusandos hoc vti exemplo se posse sibi persuadet.

DOMINI PLESSII ADVERSVS EPISCOPVM Ebroicensem RECRIMINATIONES.

SEQVVNTVR recriminationes, quas Dominus du Plessis aduersus Episcopum Ebroicensem proponit; quarum refutatione hæc concludenda Responsio est, tam vt calumniæ contra veritatem imbecillitas in lu-

cem producatur, quàm vt hæc extrema ei, dum ſe ſui ſimiles habere putat, conſolationis vmbra adimatur. Porrò conſiſtunt hæ recriminationes in ſex criminibus falſi, quę ille aduerſus Tractatum de vocatione obijcit, in quibus conquirendis ex quattuor quinquéue ineptorum Miniſtrorum cerebris ac ſcriptis ſuccum omnem expreſſit, qui in hunc tractatum irruerunt, ac ei, veluti canes ad cadauer, adhæſerunt, neq; aliam inde gloriam reportarunt, quàm vt ignorantiæ ſuæ ſpecimen ederent, denteſque ſibi, inſtar ſerpentis limam arrodentis, mordēdo confringerent. Nō enim Dominus du Pleſſis harum falſarum & abſurdarum cenſurarum eſt auctor: nimis cōſideratus eſt, vt adeo pinguium craſſarumq; fraudum accuſetur, ſi ipſemet Epiſcopi Ebroicēſis ſcriptum legiſſet. Eſt omnino quidem ſtylus ipſius: ſed ſunt obſeruationes inſulſorum iſtorum examinatorum, & inter ceteros, iſtius ſtupidi cauillatoris, ſine nomine, & ſine

ſenſu,

ſenſu, qui ſe per compendium & litterarum penuria ſignat, F. D. L. M. Vox quidem, vox quidem Iacob eſt: ſed manus, manus ſunt Eſau. Quamobrem, ſi quos in hac reſponſione iuſtæ ſeueritatis mucrones miſcuero, inſtar apis, quæ mel aculeo tuetur ſuum; hos ego aduerſus illos, non aduerſus Dominum Pleſſium emiſſos volo: In illos, non in hunc, orationem meam dirigo.

PRIMVS TEXTVS EPISCOPI Ebroicenſis.

DEVS Eccleſiaſtici ordinis originem inter Iſraelitas inſtituens, eos præterea ore ſui legislatoris præparauerat ad miſſiones extraordinarias exſpectandas, etiam ordinaria ſacerdotij ſerie perdurante. *Deus*, inquit Moyſes, *Prophetas ſuſcitabit tibi de medio tui, ſimiles mei, ipſos audies.* A quo faciendo Eccleſiæ Chriſtanæ legislator abſtinuit, cùm nunquam dixerit, niſi ſuis Apoſtolis, & vt teſtatur S. Cyprianus, per Apoſtolos omnibus Epiſco-

Deut 18.

"*Dieu te ſuſcitera des Prophetes du milieu de toy ſemblables à moy tu les orras.*"

Cypr. ep 69.

piſcopis, qui per ſubſtitutam ordinationem Apoſtolis ſuccedunt; Qui vos audit, me audit.

OBIECTIO DOMINI du Pleſſis.

Dominus Pleß.3.edit. pag.72.

Act.3.& 7.

HAbetur numero ſingulari, Deus ſuſcitabit tibi Prophetam, ſicut me, de fratribus tuis: ipſum audies. S. Petrus, & S. Stephanus exponunt de IESV Chriſto. Et in S. Luca diſertè habetur, Chriſtum, cum ſeptuaginta diſcipulos mitteret, eis dixiſſe, Qui vos audit, me audit. Triplex falſitas in vnico articulo: Litteralis apertè, in eo quòd dicit, Prophetas, pro, Prophetam, & reticet, quod dictum eſt ſeptuaginta diſcipulis: Et quæ ſententiam peruertit, in eo, quòd ſuper vocabulo, Prophetas, pluraliter, fundare vult vocationem extraordinariam Prophetarum veteris Teſtamenti, etiamſi hoc teſtimonium de Chriſto dictum ſit: In omiſſione etiam ſeptuaginta diſcipulorum, in eo, quòd inde eam tollere vult in nouo Teſtamento, reſtringens eam ad ſolos Epiſcopos, qui alii aliis ſubſtituuntur.

RESPON-

RESPONSIO EPISCOPI *Ebroicensis.*

RIdeam'ne ineptiam, an conquerar de malitia ignorantium calumniatorum, qui hanc sarcinam Domino du Plessis portandam imponunt? Episcopus Ebroicensis, quando tractatus ipsius de Vocatione prodijt in lucem, duas eodem mense, & per eundem Typographum impressiones fieri curauit, alteram *in octauo*, quæ fuit tantùm exiguum experimẽtum ducentorũ trecentorumue exemplarium, vt amicis tantummodo, vt putabat, illius copiam faceret: alteram *in duodecimo*, quæ impressio integra fuit, & completa, quam euulgauit, vt priori isti specimini supplemẽto esset, ad quam edẽdam multorum precibus se cogi videbat. Et vt ne isti Zoili sitibundi & famelici ad inuehẽdum, huius textus conuersioni, vt futurum præuiderat, affixi hærerent, in margine primę citationis testimonij, in omnibus exemplaribus editionis completæ, id est, impressionis *in duo-*

decimo, quę vnâ peculiariter facta fuerat, vt in publicũ daretur, hæc verba, q̃ etiamnum in omnibus litterâ Italica impressa sunt, annotauit; [a] *Nomen textus est singulare, sed sensus est pluralis; & ad Christum spectat præcipuè, sed non solum.* Et isti voluntarij cæci, vt se ludum faciant, habeantq; materiam ad detrahendum, hãc notationem, q̃ calumniam ipsis in os ingerit, dissimulant, finguntq; malitiosa ignorãtia se eam non vidisse. Non hoc meretur operam lauandi illis non nihil caput, vel cum periculo iacturæ lixiuij? Verùm esto, non fuerit huius adhibendi memor antidoti Episcopus Ebroicensis: examinemus solidè & exactè, ecqd in allegatione falsitatis insit. [b] *Episcopus Ebroicensis*, (inquit decurtatus iste Doctor F. D. L. M.) *corrumpit testimonium Moysis: Habetur enim in numero singulari, Prophetam, quem in Actis S. Petrus de IESV Christo exponit.* Itáne est? Ergo Marottus erit falsarius, & post eum omnes Ministri, qui psalmos illius decantant, eo quòd hunc

[a] *Tract. de Vocatione impress. in duodec. Parisien. apud Mamert Patisson, Regium Typogr. 1597. fol. 15. p. 1. in margine.*

[b] *Exam. lib. de Vocat. per F. D. L. M. fol. 84. p. 2.*

hunc psalmi vndecimi versiculum; *Quoniam defecit sanctus*, conuerterit; *Car d'hommes droicts sommes tous desnuez*, id est, *Hominibus rectis omnes* (vel *planè*) *nudati sumus?* Ergo Beza falsarius erit, & quotquot post eum psalmos illius decantant, eo quòd hunc psalmi septuagesimi tertij versiculum, *Non est amplius Propheta*, quem locum ait Caluinus isti loco Deuteronomij, ab Episcopo Ebroicensi citato, respondere conuerterit; [a] *Prophetes nous defaillent*, id est, *Prophetæ nos deficiunt?* Neque solùm Beza, sed magna etiam Biblia Geneuensia, anni 1565. falsaria erunt, quòd illum prosa conuerterint, [b] *Il n'y a plus de Prophetes*, *Non sunt amplius Prophetæ?* Vtriusque enim textus est dictio singularis. Ergo, vt à sacris auctoribus ad profanos descēdamus, quando Virgilius dicit de equo Troiano loquens;

--- *Vterumq; armato milite complent*;

Vertendum erit;

Ils remplissent les flancs du cheual de soldat:

Et non;

[a] Bez. ps. 74. Lat. 73.

[b] Bibl. Gen. 1565. in ps. 74. Lat. 73.

Ils rempliſſent les flãcs du cheual de ſoldats: quia vocabulum, *milite*, ſingulare eſt? Miſellum quattuor aut potius trium litterarum Doctorem, qui neſcit, cùm in aliqua lingua originali, enallage numeri eſt, id eſt, figura, quæ numerum alterum pro altero vſurpat; licere illam abſque figura interpretari; præſertim cùm Interpretis lingua eiuſdem enallages capax non eſt: ac tum maximè, cùm id fit in verſione allegationis, vbi ſatis eſt directum ac formalem ſcripturæ ſenſum exprimere; & non in expreſſa ac continua translatione, in qua omnes ſenſus contextus, tam formales & directi, quàm obliqui & analogici conſeruãdi ſunt. Atqui verò in linguam noſtrã non quadrare iſtam enallagen, inde liquet, quod abſque articulo, vti Hebraica, dicere non poſſet, *Dieu te ſuſcitera Prophete*: NABI IAKIM LEKA JEHOVA: Si autem articulus adderetur, diceretur q́;, *Dieu te ſuſcitera le Prophete, Deus ſuſcitabit tibi illum* (*aliquem certum*) *Prophetam*; aut, *Dieu*

Dieu te suscitera vn Prophete, Deus suscitabit tibi vnum Prophetam; actualis singularitas articuli, virtualem enallages pluralitatem excluderet. Verumenimuero [a] hic Doctor tetragrammaticus cõtendit nullam esse in textu originali enallagen; & æquè sensum esse singularem ac verba; *quia*, inquit, *S. Petrus in Actis de IESV Christo exponit.* Quid hoc censore insensato fiet, qui non animaduertit, quàm rusticè Magistrum suum Caluinum asinino pede feriat, dum se putat lædere Episcopum Ebroicensem? Nam ipsa Caluini verba in 18. Deuteronomij, sunt hæc: [b] *Significat (Moses) voluntatem eius certam & clarè notam fore; quia per seruos suos Prophetas fideliter eos erudiet.* Et paullo pôst: *Hinc colligimus in nomine Prophetæ esse enallagen numeri. Nam quòd nonnulli ad Iosue, alij ad Hieremiam restringunt, prorsus insulsum est: quando hîc de continuo regendæ Ecclesiæ tenore disserit Moses, non autem recitat quid facturus sit Deus ad breue tempus. Nihilo rectior est eorum sententia, qui præcisè de*

[a] *Examen F.D.L.M. fol. 844.*

[b] *Caluinus commen. in Deute. c. 18. v. 15. & 18.*

ſolo Chriſto accipiunt. Et iterùm: *Quò pertinet illud, lex & Prophetæ vſque ad Ioannem. Vbi videmus Moſi alios ſubſtitui tanquam collegas in gubernanda Eccleſia, vſque ad Chriſti aduentum: quanquam ſcitè Petrus et concinna analogia teſtimonium hoc ad Chriſtum accommodat.* Itemq; in tertium caput Actorum, vbi hic textus à S. Petro citatur: [a] *Sed altera quæſtio,* inquit Caluinus, *hic occurrit multo difficilior. Quòd ſcilicet Petrus ad Chriſti perſonam accommodat, quod in genere dixerat Moſes de Prophetis. Tametſi enim Prophetam nominat ſingulari numero, cõtextus tamen clarè indicat, non de vno tantùm haberi ſermonem, ſed indefinitè nomen hoc poni, &c.* Et paullo pòſt: *Ac ſi diceret, Deus nunquam vos Prophetis deſtituet, à quibus diſcatis, quidquid vobis erit vtile cognitu.* Et iterùm: *Scio,* inquit, *quoſdam multum laborare, vt ad Chriſtum reſtringant, &c. Sed hoc nihilo magis eſt validum: quia ſimpliciter fidem verbo Dei aſſerere vult Moſes, per quoſcunque afferatur. Non eſt ergo, cur nos Iudæis ridendos propinemus, violenter torquentes Moſis verba,*

[a] *Idē in A&. Apoſt. c. 3.*

verba, quasi solum Christum hic designet. Itemq; in commentario in septimum caput Actorum, vbi hic locus à S. Stephano adducitur. [a] *Non est, inquit Moses, quòd Magos tibi, vel ariolos appetas: Deus enim nunquam te Prophetis destituet, qui te fideliter erudiant.* Item Petrus Martyr in locis cōmunibus: [b] *Scio illum locum à D. Petro in actis verissimè accommodari ad Christum: potest tamen etiam non malè intelligi de Prophetis.* Itemq; annotationes magnorum Bibliorum Geneuensium anni 1565. in caput 18. Deuteronomij: [c] *Non promittit hic vnicum Prophetam, sed plures, & velut continuam Prophetarum seriem in sua Ecclesia, vsque ad aduentum IESV Christi, qui fuit finis omnium Prophetarum.* Et iterū: *Dicit hoc illis non defuturum, eo quòd illos non deseret absque Prophetis.* Itemq; in caput tertium Actorum, ad marginē huius versus; [d] *Dominus Deus suscitabit vobis Prophetam; id est*, annotant Biblia Geneuensia, *Deus non vos deseret absque Prophetis.* Quid deinceps restat, nisi vt præ admiratione exanimêre,

[a] Idem in cap. 7.

[b] Pet. Martyr in locis comm. c. de Ecclesia.

[c] Bibl. Geneuen 1565 in Deuter. c. 18.

[d] Bibl. Gen. in Act. c. 3.

atque

atque ob iſtorum calumniatorum ignorantiã in ecſtaſin rapiâre? Quãuis enim nec Gloſſa interlinearis Catholicorum ad hoc nomen, *Prophetã*, non notaret, [a] *Ioſue, vel alios ſequentes:* quamuis Poſtilla Lyrani non diceret: *Intelligitur* [b] *hoc non ſolum de Ioſuë, &c. ſed etiam de alijs Prophetis:* Quamuis additio Paulli Burgenſis non adiungeret, [c] quintumdecimum capitis verſiculum, illum ſcilicet, de quo cauillator iſte, & poſt eum Dominus Pleſſius Epiſcopum Ebroicenſem arguit, de omnibus Prophetis intelligi, octauum autem decimum de Chriſto: Eſtne aliquis qui neſciat per omnes ſcholæ leges licere ei q̃ diſputet, ſcripturæ textum iuxta aduerſariorum interpretationem, cùm pro ſe facit, allegare, vt inde argumentetur, vt loquuntur Scholaſtici, *ad hominem?* Atque hoc ſit de prima & altera, quæ obijciebatur, falſitate, quæ ambæ vnica reſponſione confutantur. Tertiam expediamus.

[a] *Gloſſ. interl in Deuter. c. 18. v. 15*

[b] *Lyran. in Deut. c. 18. v. 18.*

[c] *Paul. Burgenſ. in c. 18. Deuter.*

Epiſcopus Ebroicenſis (inquiunt) *falſò allegat*

allegat Dominum nostrum non dixisse vnquam nisi Apostolis, & per hos, vt testatur S. Cyprianus, Episcopis, Qui vos audit, me audit: In decimo enim S. Lucæ disertè habetur, IESVM Christum, cùm septuaginta discipulos mitteret, eis dixisse, Qui vos audit, me audit. Ad hoc quid ego respondebo, aut potiùs quid non respondebo? Quia Episcopus Ebroicensis inserens in sua allegatione textum S. Cypriani, & consequenter obligans se ad vsum verborum ipsius retinendum, nomen, *Apostolis*, eodem quo ipse, sensu vsurpauit, nempe pro omnibus ijs, qui à IESV Christo immediatè missi erant, id est, tam pro duodecim Apostolis ipsis, quàm pro septuaginta discipulis, qui tanquam Apostoli tunc delegati erant, ideo falsarius est. Hem! quid ais? Ergo falsarius erit S. Cyprianus, qui eodem in loco, quem Episcopus Ebroicensis citauit, communicãs appellationem Apostolorum cum Discipulis, & cõmissionem Discipulorum cum Apostolis, ait: [a] *Christus dicit ad Apostolos, ac per*

[a] *Cypria. ad Flor. Pup. epist. 69.*

ac per hos ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt. Qui audit vos, me audit: & qui me audit, audit eum, qui me misit. Nam ista verba nusquam reperiuntur nisi in decimo capite S. Lucæ, vbi Christus Dominus septuaginta discipulos alloquitur, neque vnquam disertè ad Apostolos duodecim directa sunt. Ergo falsarius erit S. Augustinus, quando in idem caput protestatur: [a] *Si solis Apostolis dixit, Qui vos spernit, me spernit, spernite nos. Si autem sermo eius peruenit ad nos, & vocauit nos, & in eorum loco constituit nos, videte ne spernatis nos, ne ad illum perueniat iniuria, quam nobis feceritis.* Non enim solùm Apostolis applicat hæc verba, [b] *Qui vos spernit, me spernit,* quę nunquam expressè nisi septuaginta pronunciata sunt; sed etiam applicat, vt Episcopus Ebroicensis, solis Apostolis primitiuè, & per deriuationem, Episcopis. Ergo falsarius erit Caluinus, quando in quarto Institutionis scribit: [c] *Denique non poterat Christus hunc statum magis extollere, quàm dicendo*

[a] *August. de verb. Dom. in Euangel. secūd Luc. ser. 23. super hac verba. Qui vos spernit, me spernit.*

[b] *Luc. 10.*

[c] *Calui. Instit. Gal l. 4 c. 3. sect. 3. impr. 1565.*

cendo

cendo Apostolis, [a] *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Nam neq; hæc verba vnquam nisi ad septuaginta formaliter prolata sunt: neque decimum caput S. Lucæ, vnde ea Caluinus citat, nisi de septuaginta discipulis, non autem de Apostolis loquitur, Sed quid dico S. Cyprianum? quid dico S. Augustinum? quid dico Caluinum? Dicere debebam antiquitatem nouitatemq;, (ita si loqui liceat) vniuersam. Videte, lectores, istorum hominum peritiam atque fidem. Nemo est ex omnibus veteribus, qui non testetur frequens esse, vel in ipsa scriptura, vt sub acceptione generali vocabuli, *Apostolorum*, septuaginta discipuli comprehendantur. Tertullianus referens locos ex Euangelio S. Lucæ consentientes, cum ijs, qui in eo erant, quod Marcion inde extraxerat; [b] *Allegit*, inquit, *& alios septuaginta Apostolos*: Origenes in epistolam ad Romanos; [c] *Septuaginta & ipsi Apostoli nominati sunt:* Sanctus Chrysostomus in priorem Epi-

[a] *Luc.10. v.16.*

[b] *Tertullia. contr Marcion. libr.4. ex Euang. L. Luc.c.10.*

[c] *Origen. in epist. ad Roman.c.16.*

Epistolā ad Corinthios, & post eum, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & infiniti similes; ἦσαν γὰρ καὶ ἄλλοι ἀπόστολοι, ὡς οἱ ἑβδομήκοντα. *Erant* [a] *enim & alij Apostoli velut septuaginta.* Nemo est ex omnibus famosis Ministris, qui non id agnoscat: [b] *Per APOSTOLOS OMNES,* (inquit Caluinus) *intelligo non solùm duodecim, sed discipulos etiam, quibus Euangelij prædicandi munus iniunxerat:* Et Bullingerus in eundem locum; [c] *Videtur autem Paulus per Apostolos intellexisse omnes discipulos:* Itemq; Biblia Geneuensia anni 1565. in epistolam ad Romanos; cap. 16. [d] *Hoc nomen, Apostolus, præter duodecim, extenditur ad eos, qui legationem Euangelij deferebant:* Et in 1. ad Corinthios cap. 16. *Paulus per vocem, Apostolos, non solum intelligit, duodecim, sed etiam alios discipulos, quibus mandauerat Christus prædicare Euangelium, vt erant septuaginta duo discipuli, de quibus S. Lucas in capite decimo meminit.* Zuinglius etiam tractatum suum in versum primū capitis decimi S. Lucæ inscri-

[a] Theodoret. Theoph. Oecum. ibid.

[b] Caluin. in 1. Cor. c. 15.

[c] Bulling. in 1. Cor. c. 15.

[d] Bibl. Gen. anni. 1565.

[e] Zuingl. in Luc. cap. 10. vers. 1.

inſcribit,[a] *De vtilitate & neceſſitate Apoſtolatus*; & reliquum totum caput de Apoſtolis interpretatur. Ipſimet Centuriatores Germanici ſcribunt, *Differt*[b] *Apoſtolica functio hac in parte à communi: quòd Apoſtoli immediatè à Ieſu Chriſto vocati ſunt; cæteri autem mediatè, & legitimo modo à Deo excitantur, & vocantur. In Apoſtolica functione fuere duodecim illi, à Chriſto peculiariter, ac viua voce aſſumpti, Matth. 10. Et ſeptuaginta, quos binos ante ſe miſit, quocunque venturus erat.* Et iſti ignari ignotiq; cenſores, in Epiſcopum Ebroicenſem, ceu falſi reum, vociferantur, quòd is, cùm ſibi teſtimonium S. Cypriani, in quo de Apoſtolis loquebatur, laudandum eſſet, eodem ſenſu nomen, *Apoſtolis*, vſurpauit, quo ille vtebatur, nempe pro omnibus, qui à Chriſto primum & immediatè miſſi fuerant, id eſt, tam pro duodecim, quàm pro ſeptuaginta. O ſcientiam! O conſcientiam!

[b] *Cent. 1. l. 2. c. 4. Col. 187.*

Edit. in 12. fol. 51.

TEXTVS ALTER EPISCOPI Ebroicensis.

[a] Ephes. 4. 1. Cor. 12.

SAnctus [a] Paulus dicit, posuisse
„ Deum in Ecclesia quosdam quidẽ
„ Apostolos,&c. alios autẽ Pastores &
„ Doctores: ad consummationem San-
„ ctorum in opus ministerij, in ædifica-
„ tionem corporis Christi: donec oc-
„ curramus omnes in vnitatem fidei.
„ Ecce ministerium inchoatum per
„ missionem extraordinariam Aposto-
„ lorum, & continuatam per missionẽ
„ Pastorum atque Doctorum.

OBIECTIO DOMINI du Plessis.

Dominus Plessius 3. edit. p. 73.

OMisit Prophetas & Euangelistas, qui in priore loco ad marginem notato in specie ponuntur. Quod ipse consilio fecit, eo ꝙ defendat duas fuisse sub lege missiones, vnã fundamentalẽ Aaronis, alteram collateralem Moysis: sed sub nouo non fuisse nisi missionem Apostolorum, qui soli eam habentes extraordinariam, in suos successores Pastores atque Doctores deriuarunt. Iam Prophetæ & Euangelistæ, de quibus loquitur

tur S. Paulus, maximam partem eam non habebant, non magis, quàm ſeptuaginta, quos IESVS miſſione extraordinaria miſerat.

RESPONSIO EPISCOPI Ebroicenſis.

SI hoc ſcriptum Dominus Pleſſius ſuis puris ac proprijs oculis legiſſet, & non adhibitis impoſturæ atque calumniæ conſpicilijs, quæ ignari iſti Prædicantes naſo ipſius impoſuerunt; inueniſſet, & vbi Epiſcopus Ebroicenſis hunc locum citat in forma, nempe folio 24. editionis *in octauo*, & folio 26. editionis *in duodecimo*; eum cum hoc verbo, *Prophetas*, allegare: Nam vtraque editio penitus ſic habet: [a] *Poſuit (inquit S. Paulus) in Eccleſia, Apoſtolos, Prophetas, Paſtores, & Doctores; ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij*: & vbi inde argumentatur, neq; eũ in forma allegat haberi in editione *in duodecimo*, q̃ ſola eo fine adornata eſt, vt publicè euulgaretur, notam *& cætera*, in altera editione, poſt vocem, *Apoſtolos*, im-

[a] *Tracta. de Vocat. edit. in 8. fol. 24. edit. in 12. fol. 26.*

prudente Typographo, omiſſam ; vt oſtendat ſe non allegare textum integrum, ſed eam ſolùm partem, qua de agitur. Verùm eſto, iſtam præcautionem non adhibuerit Epiſcopus Ebroicenſis; quis tiro in litteris adeo rudis, qui ignoret in allegationibus, quæ non in forma, fiunt, ſed inſtituto accommodantur, licere ei, qui allegat, cum auctor amplius dicit, minus adferre, modo affirmatiuè argumentetur? S. Lucas ſcribit fuiſſe Antiochiæ Prophetas & Doctores. Si ergo peculiaris aliqua neceſſitas incidat vetuſtatem nominis & officij Doctoris inter Chriſtianos oſtendendi: non poſſim ego allegare, S. Lucam dicere, iam inde à tempore S. Pauli Doctores in Eccleſia Antiochena fuiſſe, prætermiſſa mẽtione Prophetarum? Suſceperat ſibi Epiſcopus Ebroicenſis probandum, ſucceſſionem miniſterij Eccleſiæ, extraordinaria Apoſtolorum miſſione inchoatam, atque ordinaria Paſtorum ac Doctorum miſſione cõtinuatã, debere eſſe perpetuam.

Actor. 13.

petuam. Ad hanc rem nonne ſatis erat, allegare id quod S. Paulus dicit de Apoſtolis, qui primæ ſcaturigines ſunt huius ſucceſſionis, & de Paſtoribus atque Doctoribus, qui deriuationes ſunt & progreſſus, abſque eo, vt auditorum aures hiſce vocibus, *Prophetas*, & *Euangeliſtas*, onerarētur, quæ neque pro, neque contra argumentum allegationis faciunt? Sed non eſt id totum: Nemo eſt qui neſciat, & hæc vera eſt iſtius reticentiæ cauſſa, iſtorum duorum nominum ſignificationem, eo ſenſu, quo S. Paulus ea adhibebat, hodie aut incertam eſſe, aut incognitam. Quemadmodum enim, *Prophetes*, in Græca lingua, propter ambiguum prępoſitionis, *pro*, diuerſos habet vſus, & modò eos ſignificat, qui res futuras prædicũt, modò eos, qui in publico & ad populũ loquuntur: ſic etiam non ſolũ veteres, ſed etiã ipſimet aduerſarij noſtri, diuerſas ei interpretationes tribuunt. [a] *Dedit*, inquit S. Hieronymus, *ſecundò Prophetas, non illos, qui futura vaticinentur,*

[a] *Hier. lib. 2. in epiſt. ad Eph. c. 4.*

nentur, quales in veteri legimus testamento: Sed qui infideles & imperitos arguant, atque dijudicent. Et Zuinglius in priorem ad Corinthios; [a] *In nouo Testamento*, inquit, *Prophetæ sunt, qui scripturas veteris ac noui Testamenti coram Ecclesia exponunt.* Et Caluinus in Acta: *Cùm* [b] *varias significationes*, inquit, *habeat nomen (Prophetæ,) non sumitur hoc loco pro vatibus, quibus res futuras prædicere datum esset: quia parùm opportunè interpositum esset hoc elogium, vbi alia de re agitur: sed intelligit Lucas, eximia mysteriorum Dei intelligentia Iudam & Silam fuisse præditos, vt essent probi Dei interpretes, quemadmodum & Paulus prioris ad Corinth. 14. cùm de Prophetia disserit, & alijs omnibus donis præfert, non adducit in medium vaticinia, vel prædictiones, sed ab hoc fructu commendat, quòd doctrina, exhortatione, & consolatione Ecclesiam ædificet.* Et in caput 12. prioris ad Corinthios: [c] *Transit statim à primo gradu ad Prophetas: quo nomine intelligit (meo quidem iudicio,) non eos, qui dono vaticinandi pollerent: sed qui singulari non modo interpre-*

[a] *Zuingl. in 1. ep. ad Cor. cap. 12.*

[b] *Caluin. in Act. Apost. cap. 15.*

[c] *Idem in 1. ad Cor. c. 12.*

terpretandæ, sed etiam in præsentem vsum prudenter accommodandæ scripturæ gratiâ pollerent. Et paullo pòst: *Si quis dissentiat facilè patior: neque rixas propterea excitabo. Est enim difficilè iudicare de donis & muneribus, quibus tamdiu orbata fuit Ecclesia.* Et Musculus: [a] *Sunt qui Prophetas hîc intelligant non vates, sed eos, qui sacras scripturas ad populum exponunt.* Et Bullingerus in caput 12. prioris ad Corinthios: [b] *Prophetæ, quos secundo loco recensuit, Episcopi esse videntur plebem docentes, hortantes, consolantesq́.* Et in caput 14. [c] *Claret ex hoc loco Prophetam eundem esse Paulo, qui nobis est Doctor, Episcopus, Ecclesiastes, aut Euangelista.* Et in cap. 4. epistolæ ad Ephesios: [d] *Qui sacris litteris maximè inuigilabant, exponendis & eruendis mysterijs, non tam plebis indoctæ, quàm eruditorum rationem habentes; hi peculiariter vocabantur Prophetæ.* Et iterùm: *Nemo est qui non videat hæc vocabula inuicem confundi, & alterum accipi pro altero: nam Apostolus, etiam Propheta, Doctor, Euangelista, Presbyter, atque Episcopus est: Et Episcopus Euangelista,*

[a] *Muscul. in locis cō. tit. de offic. Ministrorum Verbi.*

[b] *Bulling. in 1 ad Cor. cap. 12.*

[c] *Idem in cap. 14.*

[d] *Idem ep. ad Ephes. cap. 4.*

gelista,& Propheta est: Propheta, Doctor, Presbyter,& Euangelista: Ipsi etiam Germaniæ Centuriatores: *Propheta, Euangelista, Pastores, ac Doctores, non certos gradus personarum in regimine Ecclesiastico constituêre: sed aut inter Apostolos, eorumq́ socios, aut inter Presbyteros, aut Diaconos numerandi videntur.* Quorsum igitur nunc in citatione, in qua agitur, non vt verba, sed vt sententia allegetur, allegare verba, quorũ sententia ignoretur? Sed volo Episcopum Ebroicensem nullâ harum iustissimarum rationum adductũ esse, vt quid reticeret; quis ignorantem calumniatorum istorum malitiam non admirabitur, qui suis Lamiarum oculis non videant Caluinum ijsdem planè verbis, quibus citat Episcopus Ebroicensis, hunc eundem locum citare, absque vlla Prophetarum aut Euangelistarum mentione? Ecce enim tibi, quemadmodum illum in quarto libro Institutionis, capite octauo, sectione duodecima producit: [a] *Veritas,* inquit, *Dei in Ecclesia per ministerium predi-*

Cent. 1 l. 1. c. 7 col. 509.

[a] *Caluin. in Instit. G. l. bic a impres. an 1565 l. 4. c. 8 sect. 12.*

prædicationis conseruatur; *vti S. Paulus declarat alibi, cùm dicit*; *I E S V S Christus dedit Apostolos, Pastores & Doctores, vt nõ fluctuemus amplius, & circumferamur omni vento doctrinæ.* O fidem! ô ingenuitatem! Caluinus oraculum, Dæmon, Idolum Ministrorum; Caluinus nouus eorum Apostolus, nouus eorum Propheta, nouus eorum Euãgelista; Caluinus, quem falsarium æstimare, ipsis blasphemia, sacrilegiũ, parricidium foret, hunc S. Pauli locum, directè, absque *& cætera*, absque vlla reticentiæ nota, allegat, atque inde hæc vocabula, *Prophetas*, &, *Euangelistas*, amputat; Illi approbant, illi amplectuntur, illi adorant: Episcopus Ebroicensis istum eũdem locum citat obliquè, interponit *& cætera*, apponit reticentiæ notam; illi ipsum falsi accusant, quia post Caluinum, *Prophetas*, & *Euangelistas prætermittit*.

I nunc, & nega hoc esse, instar Epimenidis, impudentiæ sacrificare!

Edit. in 8. fol. 74. et in 12. fol. 79.

TEXTVS TERTIVS EPISCOPI Ebroicensis.

„ VNICA societas, quæ potest re-
„ stituere legitimam potestatem,
„ exercendi ministerium, videlicet Ec-
„ clesia Catholica, in Concilio Nicæ-
„ no restituit ijs, qui antea à Melitio or-
„ dinati fuerant.

OBIECTIO DOMINI du Plessis.

Dominus Plessius 3. edit. p. 74.

EN tibi, quod epistola Synodalis eiusdem Concilij in primo Conciliorum tomo insertà habet; Verùm, quod ad eos, qui per Melitium constituti sunt, confirmati benedictione mystica, honorem & functionem habebunt. Atqui verò confirmare aliquem in suo officio, non est illi hoc restituere: restitutio enim præsupponit destitutionem.

RESPONSIO EPISCOPI Ebroicensis.

ECQVIS est tam ignarus qui dubitare possit, eos, qui per Melitiũ, post ipsius depositionem, ordinati fuerant, & origine in persona sui institu-

ſtitutoris, & actu in propria perſona deſtitutos fuiſſe? Melitius enim iam depoſitus, & legitima Epiſcopatus functione priuatus; quomodo aliis eam dare poterat, is qui eam non habebat? Et ſectatores ipſius atque complices, per excommunicationis ſententiam è corpore Eccleſię exſtirpati iam, atque è numero ciuium reipublicæ Chriſti amputati, quomodo in ea Magiſtratus manere poterant? Sed ipſummet bellæ huius auiculæ, cuius ſe plumis Dominus Pleſſius exornat, cantum audiamus: [a] *Non eſt dictum,* vlulat F.D.L.M. *uti Dominus du Perron falsò citat, poteſtatem illis officiũ ſuum exercendi reſtitutam fuiſſe: ſed, myſtica ordinatione fuiſſe firmatos, vt haberent honorem & miniſterium. Iam confirmare aliquem in ſua functione, non eſt illi eam reſtituere. Rex, cùm ad Coronam venit, omnes Magiſtratus confirmauit, ſed nemo vnquam dixit, hoc eſſe eos reſtituere, cum reſtitutio deſtitutionem præſupponat.* O cæci, duces cęcorum! Ecquid ergo ſibi vult S. Athanaſius, quando ſcribit:

[a] *Examin. F.D.L.M. fol 110.*

hit: Πέτρος παρ' ἡμῖν πρὸ τοῦ διωγμοῦ, γέ-
γονεν ἐπίσκοπος, ἐν δὲ τῷ διωγμῷ καὶ ἐμαρ-
τύρησεν, οὗτος Μελίτιον ἀπὸ τῆς αἰγύπτου λε-
γόμενον ἐπίσκοπον, &c. ἐν κοινῇ συνόδῳ τῶν
ἐπισκόπων καθεῖλεν.[a] *Petrus apud nos an-
te persecutionem Episcopus, & in persecu-
tione Martyr declaratus, Meletium, &c.
in communi Episcoporum Synodo deposuit?*
Et Socrates, quando scribit:[b] ὑπὸ Πέ-
τρου ἐπισκόπου ἀλεξανδρείας, τοῦ ἐπὶ Διο-
κλητιανοῦ μαρτυρήσαντος, Μελίτιός τις
μιᾶς τῶν ἐν αἰγύπτῳ πόλεων ἐπίσκοπος κα-
θῃρέθη, δι' ἄλλας τε πολλὰς αἰτίας, καὶ μά-
λιστα ὅτι ἐν τῷ διωγμῷ ἀρνησάμενος τὴν πί-
στιν, ἐπέθυσεν. οὗτος καθαιρεθεὶς, πολλούς τε
ἐσχηκὼς τοὺς ἑπομένους αὐτῷ, αἱρεσιάρχης κα-
τέστη τῶν ἄχρι νῦν ἐξ αὐτοῦ κατὰ τὴν αἴγυπτον
μελιτιανῶν καλουμένων. *Melitius ciuita-
tis cuiusdam in Ægypto Episcopus, à Petro
Alexandriæ Episcopo (qui regnante Diocle-
tiano mortem obierat Martyrio) cum mul-
tis alijs de caussis, tum maximè, quòd tem-
pore persecutionis fidem inficiatus, Idolis
immolauerat, munere Episcopatus abdica-
tus est. Qui cùm esset abdicatus, complu-
resq́ haberet qui erant ipsius dicto audien-
tes, illis*

[a] *Athanas. Apol. 2.*

[b] *Socr. lib. 1. cap. 5.*

tes, illis qui ab illo vsque tempore ad hodiernum diem in Ægypto Melitiani vocantur, ducem hæresis se præbuit? Et Theodoretus, quando scribit: [a] (Μελέτιος) ὑπὸ τοῦ θειοτάτου Πέτρου τοῦ τῆς ἀλεξανδρέων ἐπισκόπου, ὃς καὶ τοῦ μαρτυρίου τὸν στέφανον ἀνεδήσατο, καθῃρέθη μὲν, οὐκ ἔστερξε δὲ τὴν τῆς καθαιρέσεως ψῆφον, τὴν τε θηβαΐδα καὶ τὴν πελάζουσαν αἴγυπτον θορύβου καὶ ζάλης ἐνεπίμπλα. *Melitius à D. Petro Alexandrino Episcopo, qui & corona testimonij redimitus est, deiectus, neque æquo animo ferebat depositionis sententiam, & Thebaida & vicinam Ægyptum tumultu & motibus complebat?* Ecquid ergo sibi vult idem S. Athanasius, quando de Melitianis in genere loqués addit: [b] οἱ μελετιανοὶ οἱ ἀπὸ Πέτρου ἐκβληθέντες καὶ οἱ ἀρειανοὶ ἦσαν οἱ τὴν ἐπιβουλὴν μερισάμενοι. *Melitiani, qui à Petro vnà cum Arianis eiecti fuere, insidias inter se partiti sunt?* Et Socrates, quando scribit: [c] Συνανεμίγνυντο δὲ τοῖς ἀρειανίζουσι μελιτιανοὶ οἱ μικρὸν ἔμπροσθεν τῆς ἐκκλησίας χωρισθέντες. *Commiscebantur item Arianis Melitiani: qui non multo antè fuerant ab Ecclesia segregati?* Et

[a] Theo. Eccl. hist. l. 1. c. 8.

[b] Athanas. Apol. 2.

[c] Socr. hist. Eccl. l. 1. c. 3.

[a] Sozo. Eccl. hist. l. 1. c. 14.

Et Sozomenus, quando dicit: [a] *καταλιπὼν δὲ τοῦτον ἐχειροτονήθη διάκονος παρὰ Πέτρου τοῦ Ἀλεξανδρέων ἐπισκόπου. καὶ πάλιν αὖ παρ' αὐτοῦ τῆς ἐκκλησίας ἐξεβλήθη, καθότι Πέτρου τοὺς Μελητίου σπουδαστὰς ἀποκηρύξαντος. Arius à Petro Episcopo Alexandrino Diaconus ordinatus est; & rursus ab eodem Ecclesia eiectus, cùm fautores abdicaret Meletij?* Id Prædicans aliquis vel sine pudore ignoraſſe, vel ſine malitia ſciuiſſe potuit? Sed aliquid amplius eſt: Concilium Nicænum pronuntiauit, vt Melitius ad communionem Catholicam rediens excluſus ab omni Epiſcopali functione maneret, is, qui in Eccleſia conſecratus fuerat: Item decreuit, vt qui ab eo, durante ſchiſmate & poſt ipſius depoſitioné promoti fuiſſent, ij ſub certis reſtrictionibus exercitij miniſterij participes eſſent. Quis ergo non inde colligit, non id factum eſſe vi ſimplicis illorum ordinationis, ſed beneficio Eccleſiæ; quandoquidem Melitius, qui à meliore manu ordinationem ſuam acceperat, quàm illi, quiq; non

ſecus

ſecus ac illi, ad Eccleſiam Catholicam reuertebatur; ad hoc exercitium non admittebatur, illi admittebantur? Præterea, quando Alexander Epiſcopus Alexandriæ, in executione decreti Concilij promotos à Meletio recepit, catalogum exegit omnium eorum, quos eò vſque Melitius ordinauerat: ὁ μακαρίτης Ἀλέξανδρος, ἀπήτησεν αὐτὸν βρέβιον ὧν ἔλεγεν ἔχειν ἐπισκόπων ἐν αἰγύπτῳ, &c. ἵνα μὴ Μελίτιος λαβὼν τὴν τῆς ἐκκλησίας παῤῥησίαν, πωλήσῃ πολλοὺς καὶ ψεύσηται, καθημέραν ὑποβάλλων οὓς βούλεται.[a] ne (inquit S. Athanaſius) *Meletius per Eccleſiam ſecuritati reſtitutus titulos plurimos venderet, & mẽdacio quotidie nouos tanquam à ſe creatos ſubijceret.* An non igitur hoc oſtendit; ſi Melitius attentaſſet alios deinceps ordinare, futurũ fuiſſe, vt illi ab omni penitus miniſteriali functione excluſi eſſent: & conſequenter, quod ij, quos ipſe ſchiſmate atque ſua depoſitione durante ordinauerat, reciperentur, id illis non vi ſimplicis ipſorũ ordinationis, ſed ex gratia & diſpen-

[a] *Athan. Apol. 2.*

ſatione

ſatione Eccleſiæ concedi? Adhæc, Concilium decidit, vt qui à Melitio inſtituti fuerant, antè quàm ad vllam clericatus functionem admitterentur, ij nouam ab Eccleſia manuum impoſitionem acciperẽt.[a] τοὺς δὲ ὑπ' αὐτοῦ κατασταθέντας, μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντας (*Socr. Eccleſ. hiſt. lib 1. cap. 9. legit* κατασταθέντας) κοινωνηθῆναι ἐπὶ τούτοις. *Cæterum qui ab illo honores ſunt conſecuti* (ait Concilium) *eos placuit ſacratioribus ſuffragijs confirmatos*, (addit hoc verbum, *ſacratioribus*, vt oſtendat non eſſe propriam & ſollennem ordinationem) *hac lege coniunctionis vſum retinere, vt ipſis quidem & honores ſalui ſint, & functio conceſſa.* Jam hæc noua manuum impoſitio, quæ etiamnum formula eſt, qua eos, quibus functio ordinum Eccleſiaſticorum adempta fuerat, reſtituimus eiſque dicimus; *Reſtituo* [b] *tibi per hanc manus impoſitionem priuilegium clericale, & executionem ordinum*: quid aliud eſt, quàm reſtitutio quædam, & conceſſio, vt quis iterum habilis fiat ad priora munia

[a] *Epiſt. Concil. Nicæn. apud Theod. Eccleſ. hiſt. lib. 1. c. 9.*

[b] *Pontific. Rom. in ord. Reſtit.*

nia exercenda? Etenim si qui ex ordinatis à Melitio, qui hanc nouam manuum impositionem accipiebãt, ad exercitium sui ministerij recipiebantur, qui verò eam non accipiebãt, non recipiebantur, quam ob caussam non erat hæc cærimonia restitutio, &, vt ita loquar, rehabilitatio? Et tãdem, quando idem Concilium Nicęnum decernit, vt Nouatiani, qui ad Ecclesiam reuersi fuerint, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ, [a] *impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant*; quam manuum impositionem Concilium Nicęnum secundum, εὐλογίας χειροθεσίαν λέγει, καὶ οὐχὶ χειροτονίας: [b] *pro benedictione accipit, non pro ordinatione*; nonne hanc actionem Balsamon restitutionem appellat? *Verisimile*, inquit, *est potuisse quosdam dicere*, [c] *debere ipsos suscipi, sed esse simpliciter vt fideles laicos, & non priores suos gradus exercere: quod Synodo non placuit: sed concessum est, vt ipsi in gradus suos restituerentur. Restitutionis autem nomine vnà ius quoq; Episcopatus ostenditur.*

[a] *Concil. Nican. 1. c. 8.*

[b] *Tharas. in Conc. Nic. 2. Act. 1.*

[c] *Balsam. in Conc. Nic. 1. can. 8.*

Quonā cōmeatu igitur hic Doctor in litteris capitalibus, F.D.L.M. poteſt, abſq; frontis rubore, falſi inſimulare Epiſcopum Ebroicenſem, quod eodē verbo vſus ſit, quod Græcus Concilij cōmentator in eiuſdē ſpeciei cauſſa, & in idem Concilium adhibet? Sed non eſt quòd exſpectes, dum frons illis erubeſcat, qui frontem non habent.

TEXTVS QVARTVS EPISCOPI Ebroicenſis.

Edit. in 8. fol. 32. et ed. in 12. fol. 34.

VALENS & Vrſacius in Concilio Ariminenſi exauctorati ſunt.

OBIECTIO DOMINI du Pleſſis.

Dominus Pleſſius 3. edit. p. 74.

AThanſ. & Theod. teſtantur id factum in Concilio Sardicenſi, & excommunicatos in Ariminenſi.

RESPONSIO EPISCOPI Ebroicenſis.

Athan. ep. ad Africa.

AD ſcholas, Miniſtri, ad ſcholas. Ἴσδατε γὰρ, ἀγαπητοὶ, μαθόντες καὶ ὑμεῖς περὶ τῶν ἐλθόντων ἐξ ὑμῶν εἰς τὴν ἔρημον, ὡς ὑρ-

ὡς οὐρσάκιος καὶ οὐάλης, αὐξέντιος καὶ αὐξέντιος, ἐκεῖ δὲ ἦν σὺν αὐτοῖς καὶ δημόφιλος, καθῃρέθησαν. *Vos dilectissimi* (inquit S. Athanasius in epistola ad Africanos) *compertum habetis ex ijs, qui è vestro numero ad Concilium Ariminense se contulerunt, quomodo Vrsacius & Valens illic præsto fuere, & unà cum illis Demophilus, eosq; depositos, exautoratosq; esse:* Et in Epistola de Synodis Ariminensi & Seleucena: [a] τοὺς δὲ περιειρημένους οὐρσάκιον καὶ οὐάλεντα, γερμήνιον, αὐξέντιον, γάϊον, δημόφιλον, αἱρετικοὺς ἀπέφηναν. καὶ καθελόντες αὐτοὺς, ὡς μὴ ὄντας ἀληθῶς Χριστιανοὺς, ἀλλ' ἀρειανούς. *Vrsacium verò, Valentem, Germinium, Auxentium, Gaium, Demophilum hæreticos pronuntiauit (Concilium Ariminense,) & eos ab Ecclesia, vt non verè Christianos, sed Arianos submouit.* Et Socrates: [b] ἰστέον δὲ, ὅτι ἡ σύνοδος καθεῖλε τοὺς περὶ οὐάλεντα καὶ οὐρσάκιον, αὐξέντιόν τε, καὶ γερμάνιον, καὶ γάϊον, καὶ δημόφιλον, ὅτι τὴν ἀρειάνιον δόξαν ἀναθεματίσαι οὐ κατεδέξαντο. *Est porrò,* inquit, *intelligendum, Valentem, Vrsacium, Auxentium, Germanium, Caium, Demophilum, à Con-*

[a] *Idem in ep. de Synod. Arim. & Seleuc.*

[b] *Socrates Eccles. hist. l. 2. c. 29.*

cilio Ariminensi propterea abdicatos fuisse, quod recusabant, quo minus opinioni Arianæ indiceretur anathema. Et Theodoretus verba S. Athanasi repetens : [a] οὐρσάκιος ϗ οὐάλης, εὐδόξιός τε ϗ αὐξέντιος, ἐκεῖ δὲ ἦν σὺν αὐτοῖς, ϗ δημόφιλος, καθῃρέθησαν. *Vrsacius, Valens, Eudoxius, Auxentius, & Demophilus, Arimini depositi sunt.* Et Sozomenus: [b] μὴ πειθομένους δὲ τὸν ἀμφὶ οὐάλεντα, ϗ οὐρσάκιον, ἀλλ᾽ ἐνισχομένους κρατεῖν τὴν περιείχοντο πίστιν, καθεῖλον. *Valentem*, inquit, de Concilio Ariminensi loquens, *& Vrsacium, quòd confessioni Nicænæ Synodi acquiescere nollent, abdicarunt.* Et Nicephorus : [c] *Tantum autem abest, vt Patres id facerent, vt etiam Vrsacium, Valentē, eorumq; complices damnationis sententia exauctorarint.* O monstra! ô prodigia! ô spectacula ignorantiæ! Episcopus Ebroicensis, clamant illi, corrupit historiam Ecclesiasticam. Quamobrem? Quia dixit à Concilio Ariminensi depositos Vrsacium & Valentem. Et nemo est ex omnibus Græcis historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus, à primo vsq; ad postre-

[a] *Theodoret. ex Athanas. Eccles. hist. l.2.c.23.*

[b] *Sozo. Eccl. hist. l.4.c.17*

[c] *Nicephor. Eccl. hist. l.9 c.39. ex vers. Ioan. Lang.*

ſtremum, qui id nõ dicat: Illam enim alteram barbaram ignorantiam nolo tangere, excommunicationi maiori, cuiuſmodi eſt, quæ ob hæreſin decernitur, neſcire adiunctam eſſe, [a] vt ait S. Hilarius, depoſitionem Eccleſiaſticarum perſonarum, in quas illa emittitur. Sed [b] Soctates & [c] Sozomenus, inquient illi, ſcribunt Concilium Ariminenſe depoſuiſſe eos, qui cum Vrſacio & Valente erant, nõ autem depoſuiſſe Vrſacium & Valentem. Quid, Cenſores, quid dicitis? Anne vos etiamnum tam digni ferula & virgis Grammaticorum eſſetis (vobis loquor, Miniſtri, non Domino Pleſſio, cui, vt equeſtri viro harum rerum ignoratio pudori nõ vertitur) vt neſciretis, non plus quam Magiſtellus veſter Muſculus, hanc phraſin ἀμφὶ οὐρσάκιον, καὶ οὐάλεντα, Græcam eſſe elegantiam, quæ Vrſacium & Valentem ſignificat? Quid? etiamſi vos bonorum auctorum lectio nõ docuiſſet, (*Euſtath in Homer. Iliad.* γ. Ῥητόρων ἴδιον τὸ ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν Ἀλέξανδρον ἢ Μενέλαον, ἢ

[a] Hilar. de Synod. contra Arian.

[b] Muſculus in Socratis libr. 2. c. 37. Sciendum autem eſt, Synodũ eos depoſuiſſe q cũ Vrſacio, Valẽte, Auxentio, Germano, Gaio & Demophilo erant.

[c] Idem in Sozom. hiſtor. Eccl. lib. 4. cap. 17. Non acquieſcentes autẽ eos, qui cum Vrſacio & Valente erant, ſed inſtantes, & ab ipſis propoſita fides obtineret, depoſuerunt.

Ἀγαμέμνονα, λέγειν οἱ ἀμφὶ Ἀλέξανδρον, καὶ οἱ ἀμφὶ Μενέλαον, καὶ οἱ ἀμφὶ Ἀγαμέμνονα, καὶ τὰ ὅμοια.) Græcos dicere, ἀμφὶ Πρίαμον, pro Priamo; & ἀμφὶ ἡρακλέα, pro Hercule: etiamsi non legissetis aut legere debuissetis in S. Irenæo; [a] οὐκ ἴστε τί πεπόνθασιν οἱ περὶ κορὲ, καὶ δαθὰν, καὶ ἀβειρὼν; ἆρα αὐτοὶ μόνοι; οὐχὶ δὲ καὶ οἱ μετ' αὐτῶν. *Remanent apud inferos, voragine terræ absorpti, quemadmodum qui circa Chore, Dathan, & Abiron*, & in S. Chrysostomo, [b] οἱ περὶ κορὲ, καὶ Δαθὰν, καὶ ἀβειρὼν, pro eo, quod dicitur, *Dathan, Core, & Abiron*: etiamsi ex ipsa serie & contextu historiæ Socratis & Sozomeni nõ facilè id ratione ac iudicio elicere potuissetis: ista vna Grãmaticæ Clenardi regula non id vos docere debuisset; [c] *Dicunt præterea*, οἱ περὶ Πλάτωνα, *hoc est Plato*: οἱ ἀμφὶ Σωκράτην, *hoc est Socrates?* Quid? S. Athanasius, & Theodoretus nónne scribunt absque vllo ἀμφὶ, aut περὶ; [d] οὐρσάκιος, καὶ οὐάλης, εὐδόξιός τε, καὶ αὐξέντιος, ἐκεῖ γὰρ ἦν σὺν αὐτοῖς, καὶ δημόφιλος, καθηρέθησαν. *Vrsacius, Valens, Eudoxius, Auxentius*,

[a] *Iren. l. 4. cap. 43.*

[b] *Chrys. in epist. ad Ephes. c. 4. hom. 11.*

[c] *Gramm. Græc. Clenardi in Synt.*

[d] *Athanas. epist. ad Africanos & Theod. hist. Eccl. libr. 2. cap. 23.*

tius, & Demophilus, Arimini depôsiti fuêre? Quid? nónne ipsemet Musculus eo inloco vertit;[a] *Scitis enim charissimi certiores facti ab ijs, qui Arimini in Concilio fuere, Vrsacium, Valentem, Eudoxium, Auxentium, quiq; vnà cum illis fuit, Demophilum, priuatos esse authoritate sua?* Sed S. Athanas. & Theod. (inquit iste tenebricosus Doctor, F.D.L.M.) testãtur[b] depositos fuisse in Concil. Sardicensi. Verùm est, testantur in eo loco, quẽ vidisti, Vrsacium & Valẽtem depositos fuisse in Cõcil. Sardicensi: sed in loco, quem non vidisti eos etiam in Concilio Ariminensi depositos fuisse testantur.[c] *Scitis enim* (inquit Athanasius, & post eum Theodoretus) *ex ijs, qui è vestro numero ad Concilium Ariminense se contulerunt, quomodo Vrsacius & Valens illic præsto fuere, & vnà cum illis Demophilus, eosq; depositos exauctoratosq; esse.* Quonam pacto igitur (inquit hic occultus Doctor) accidit, vti Vrsacius & Valens iã antè in Sardicensi Concilio depositi, rursus in Ariminensi Concilio deponerentur? Ideo, (& in hoc etiam caput vnum

[a] *Musculus in versione Theod. Ecclesi. histor. l.2.c.23.*

[b] *Examin. F.D.L.M. fol.56 p.1.*

[c] *Athan. ep. ad Afric. et Theod. hist. Eccl.l.2.c.23 vt sup. f.98.*

ignorantiæ veſtræ conſiſtit) quòd eo temporis interuallo, quod inter hæc duo Concilia interiectum fuit, reſtituti fuerant, vti S. Athanaſius, Seuerus Sulpitius, Sozomenus, & ipſa Vrſatij & Valentis ad Papam Iulium Epiſtola teſtantur. Nam, en tibi ipſa S. Athanaſij verba, quę ipſe abhinc ampliùs mille ducentos & quadraginta annos conſcripſit: [a] *ταῦτα βλέποντες οὐρσάκιος, καὶ οὐάλης, κατέγνωσαν λοιπὸν ἑαυτῶν καὶ ἀνελθόντες εἰς τὴν ῥώμην, ἐξωμολογήσαντο καὶ αὐτοὶ μεταγινώσκοντες συγγνώμην τε ἠτήσαντο.* *His*, inquit, *conſpectis de ſe iam deſperantes Vrſacius & Valens Romam profecti, peccata ſua cum pœnitentia confeſſi ſunt, gratiamq́; facti poſtularunt.* Et ecce tibi verba Seueri Sulpitij, ſcripta abhinc amplius mille & ducentis annis: [b] *Vrſatius & Valens principes Arianorum, cum poſt Synodum Sardicenſem viderentur à communione ſecreti, coràm poſiti, à Iulio Romano Epiſcopo veniam popoſcerunt.* Et ecce tibi litteras ipſas Vrſatij & Valentis, quas Athanaſius & Sozomenus referũt: [c] Κυρίῳ ... μακα-

[a] *Athanaſ. Apol. 2.*

[b] *Seue. Sculpit. ſacra hiſtor. l. 2.*

[c] *Epiſt. Valentis et Vrſac. apud Ath. Apol. 2 et apud Sozom Eccleſ. hiſt. l. 3. c. 23*

μακαριωτάτῳ πάπᾳ ἰουλίῳ, οὐρσάκιος καὶ οὐάλης, &c. Διάτε τοῦτο ἡδέως ἀντιποιούμεθα τῆς κοινωνίας τοῦ προειρημένου ἀθανασίου, μάλιστα ὅτι ἡ θεοσέβειά σου, κατὰ τὴν ἔμφυτον αὐτοῦ καλοκαγαθίαν, τῇ πλάνῃ ἡμῶν κατηξίωσε συγγνώμην δοῦναι. ὁμολογοῦμεν δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι ἂν ποτὲ ἡμᾶς οἱ ἀνατολικοὶ θελήσωσιν, ἢ καὶ αὐτὸς εὐσέβιος (*Sozom. legit, Athanasius*) κακοτρόπως περὶ τούτου εἰς κρίσιν καλέσαι, μὴ ἀπέρχεσθαι παρὰ γνώμην τῆς σῆς διαθέσεως. τὸν δὲ αἱρετικὸν ἄρειον, καὶ τοὺς ὑπερασπίζοντας αὐτοῦ, &c. ἀναθεματίζομεν. *Beatissimo Domino Papæ Iulio Vrsacius & Valens, &c. Proinde recipimus Athanasij communionem, maximè quia tua in Deum pietas veniam secundum genuinam suam probitatem nostro errori impartiri dignata est. Quin & hoc promittimus, nunquam, si aliquando Orientales, atque adeo ipse Eusebius velit malitiosè eum in iudicium vocare, nos citra tuam sententiam eò abituros. Hæreticos porrò Arium, eiusque propugnatores, &c. anathemate damnamus.* Quid iam ergo inde mirum, si Vrsacius & Valens in Concilio Sardicensi depositi, & postea restituti, cùm postmo-

 dum

dum in errorem relapsi essent, iterum in Concilio Ariminensi depositi fuerint? S. Athanasius ipsemet nonne protestatur illos iam tertium in Ariminensi Concilio depositos fuisse? [a] οἱ ἐν νικαίᾳ συνελθόντες, οὐ καθαιρεθέντες συνῆλθον, &c. οὗτοι δὲ καὶ ἅπαξ καὶ δεύτερον καθαιρεθέντες, καὶ τρίτον ἐν αὐτῇ τῇ ἀριμήνῳ. *Qui Nicææ,* inquit, *conuenere, eorum nemo depositus exauctoratusq́ue fuit, &c. Isti contrà* (nempe Vrsacius, Valens, & eorum socij) *semel atque iterùm, imò iam tertio in ipso Ariminensi conuentu depositi sunt.* Sed forsitan præter S. Athanasium, Socratem, Theodoretum, Sozomenum, & Nicephorum, nemo est qui Valentem & Vrsacium Arimini de gradu deiectos esse dicat. Quid ergo, lectores, si ipsammet Concilij Ariminensis sententiam, Dei prouidentia vt bruta ista impostura confunderetur, conseruatam, id ipsum disertis verbis asserere planum fecero? Atqui vt hoc faciam, mihi non procul abeundum fuerit. Nam ecce tibi in promptu ipsummet Concilij Ariminensis

[a] Athan. ep. ad African.

nensis contra Valentem & Vrſacium decretũ, quod à S. Athanaſio in forma refertur. [a] ἕως προσῆκεν ἦν καὶ δυνατὸν, ἀδελφοὶ τιμιώτατοι, ἡ καθολικὴ σύνοδος καὶ ἡ ἁγία ἐκκλησία τῇ ἰδίᾳ ὑπομονῇ καὶ ἀνεξικακίᾳ ἤνεγκεν οὐκ ἀγεννῶς Οὐρσάκιον καὶ Οὐάλην, καὶ Γάϊον καὶ Γερμίνιον, καὶ Αὐξέντιον, &c. οὓς πρὸς τὴν ἡμετέραν κοινωνίαν συνελθεῖν οὐκ ἐπιτρέπομεν, τῇ ἰδίᾳ φωνῇ παρόντας αὐτοὺς κατακρίναντες, καὶ καθαιροῦντες, νῦν τοίνυν ὅπερ δοκεῖ, ἀποφήνασθε ἵνα ἑνὸς ἑκάστου ἡ γνῶσις ἐκ τῆς ὑπογραφῆς εἴη βέβαιος. ὁμοθυμαδὸν οἱ ἐπίσκοποι φάσκομεν, οἱ προειρημένοι ἐχθροὶ καθαιρεθῶσιν, ἵνα ἡ καθολικὴ πίστις ἐν εἰρήνῃ διαμείνῃ. *Quandiu par & poſſibile erat, fratres cariſſimi, Catholica Synodus, & ſancta Eccleſia ſua patientia & tolerantia pertulit nõ ingenerosè Vrſacium, Valentem &c. Quos ad communionem noſtram accedere prohibuimus, eosq́ in præſentia noſtris verbis condemnantes, à cœtu fidelium reijcimus: Vos item, quod videbitur, de ijs ſtatuite, vt uniuſcuiuſque cognitio ex ſua ſubſcriptione robur habeat, VNANIMITER NOS EPISCOPI DICIMVS, PRÆDICTI*

[a] *Sentent. Synodi Arimin. apud Athanaſ. in ep. de Syno. Arimin. & Seleuc.*

CTI ISTI INIMICI DETRAHANTVR AB ECCLESIA, VT CATHOLICA ECCLESIA IN PACE PERMANEAT. Καθαίρεσις *apud Can. Græc. propriè depositio (quanquam in hæresi, annexam excommunicationem habeat)* εἰ μὲν κληρικὸς, καθαιρείσθω, εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀποφοριζέσθω.

Canon dicti Apostol. & Synod. in Trull.

Quis ergo mihi nunc dabit ferream vocem, & centum calamos, centumq; linguas ad effrontem istam ignorantiam toto terrarum orbe diuulgandam? S. Athanasius dicit; [a] *Compertum habetis, Vrsacium, Valentem, Eudoxium, Auxentium & Demophilum Arimini depositos exauctoratosq; esse.* Socrates dicit; *Intelligendum est Vrsacium, Valentem, Germinium, &c. ab Ariminensi Concilio abdicatos fuisse.* Theodoretus post S. Athanasium, dicit; *Vrsacius, Valens, Eudoxius, Auxentius, & Demophilus Arimini depositi fuere;* Sozomenus dicit: *Episcopi Ariminensis Concilij Vrsacium & Valentem abdicarunt.* Nicephorus dicit; *Vrsacium, Valentem, eorumq; complices damnationis sententia exaucto-*

[a] *Supr. fo 98 & seq.*

auctorarunt. Ipſe Muſculus in verſione S. Athanaſij & Theodoreti ſcribit; *Vrſacium, Valentem, Eudoxium, Auxentium, Demophilum authoritate ſua Arimini priuatos eſſe:* Ipſa Concilij Ariminenſis ſententia, dicit; *Nos eos condemnamus & deponimus:* Et hæc calumniæ ſimulachra vociferantur Valentem & Vrſacium, non depoſitos in Concilio Ariminenſi, ſed excommunicatos fuiſſe. Et quaſi iam impudentiæ ſuæ litteras planè confectas, atque obſignatas haberēt, ignorantias ſuas Epiſcopo Ebroicenſi falsò affingunt. Coccíne ſatis eſt in toto mundo, ad faciem illis tingendam? O os! ô frontem!

QVINTVS TEXTVS Epiſcopi Ebroicenſis.

EIS qui ſunt in Eccleſia Prælatis, (*Gallice Prelats*) inquit S. Irenæus, obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtēdimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum, ſe-
cun-

Edit. in 8. et in 12 fol. 1. *Iren. lib. 4. cap. 43.*

„ cundum placitum Patris accepcrũt,
„ reliquos verò qui abſiſtunt à ſucceſ-
„ ſione originaria (*Gallicè originaire,*) &
„ quocunque loco colliguntur, ſuſpe-
„ ctos habere, vel quaſi hæreticos &
„ malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes
„ & elatos.

OBIECTIO DOMINI Pleſſij.

Dominus Pleſſius 3. edit pag 74 & 75.

IRenæi verba ſunt hæc: Quare eis qui ſunt in Eccleſia Presbyteris obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum, ſecundum placitum Patris acceperunt: reliquos verò, qui abſiſtũt à principali ſucceſſione, & quocunque loco colliguntur, ſuſpectos habere. Presbyteris, vertit, Prelats, (Prælatis,) ne animaduertatur, Irenæi tempore, Preſbyterum & Epiſcopum idem denotaſſe. Falſitas eſt in eo, quòd, à principali ſucceſſione, vertit, de la ſucceſſion originaire, (à ſucceſſione originaria;) vti ex ſuperioribus patet, vbi tantùm de doctrina locutus eſt: & ex eo, quod in capite ſequenti ſequitur; vbi

vbi dicit; Oportet adhærere his, qui & Apostolorum, sicut prædiximus, doctrinam custodiunt, & cum Presbyterij ordine sermonem sanum, & conuersationem sine offensa præstant. Triplicem faciens successionem, doctrinæ, successionis, & morum, ponensq; doctrinam primo loco: hæc est principalis, vti testatur S. Gregorius Nazianzenus.

RESPONSIO EPISCOPI Ebroicensis.

QVænam Midæ tiara istis aures cōtegere poterit? *Episcopus Ebroicensis,* inquiunt, *pro, Presbyteris, Prælatos vertit, ne tempore Irenæi Presbyterum & Episcopum vnam eandemq; personam denotasse animaduertatur.* Et ipsemet S. Irenæus multo antè Presbyter Lugdunensis fuit quàm Episcopus.[a] οἱ δ' αὐτοὶ μάρτυρες καὶ τὸν εἰρηναῖον πρεσβύτερον τότ' ὄντα τῆς ἐν λουγδούνῳ παροικίας, τῷ τε δηλωθέντι κατὰ ῥώμην ἐπισκόπῳ συνίστων. *Iidem Martyres,* inquit Eusebius, *Irenæũ id temporis Lugdunensis Presbyterum Episcopo Romano per litteras commendarunt.*

[a] Euse. hist. 5. c. 4.

Et

Et paullo pòst: [a] ποθεινοῦ δὴ ἐφ' ὅλοις τῆς ζωῆς ἔτεσιν ἐννενήκοντα σὺν τοῖς ἐπὶ Γαλλίας μαρτυρήσασι τελειωθέντος, Εἰρηναῖος τῆς κατὰ Λούγδουνον ἧς ὁ ποθεινὸς ἡγεῖτο παροικίας, τὴν ἐπισκοπὴν διαδέχεται. *Cùm Pothinus vitæ suæ cursum ad nonaginta annos produxisset, & vnà cum alijs in Gallia Martyribus è vita migrasset, Irenæus Ecclesiæ Lugdunensis Episcopatum, quem Pothinus gesserat, capessit.* Et S. Hieronymus: [b] *Irenæus Pothini Episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, Presbyter, à Martyribus eiusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones Legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherum Episcopum perfert litteras. Postea, iam Pothino propè nonagenario, ob Christum Martyrio coronato, in locum eius substituitur.* Et ipsa Martyrum epistola: [c] εἰ γὰρ ᾔδει μὲν τόπον τινὶ δικαιοσύνην περιποιεῖσθαι, ὡς πρεσβύτερος ἐκκλησίας ὅπερ ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ ἐν πρώτοις ἂν παρεθέμεθα. *Quod si locum & gradum Ecclesiastici ministerij vim & facultatem habere, iustitiæ cuiquam impertiendæ animaduerteremus, hunc vt Presbyterum Ecclesiæ in primis tibi com-*

[a] Ibid. c. 6.

[b] Hieron. in Catal.

[c] Epist. Martyr. Galliæ, apud Euseb. hist. Eccles. l. 5. c. 4.

commendassemus. Hoc Domino Plessio, vt pote alijs studijs occupato, ignosci potest: Sed in Prædicantibus nonne hæc ignorantia digna auribus est? Adhæc, nonne Tertullianus in libro deBaptismo scribit, quem adhuc Catholicus cùm esset, & viuente etiam tum ipsomet S. Irenæo composuit; [a] *Dandi quidem habet ius summus sacerdos, qui est Episcopus: Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.* Quid dicam amplius? Tertullianus [b] ipsemet & Clemens Alexandrinus ipsius æqualis, nonne erant simplices sacerdotes, alter Carthagine, sub Agrippino Episcopo Carthaginiensi; alter Alexandriæ; & nequaquam Episcopi? Quemadmodum igitur, *Presbyter*, & *Episcopus*, non nisi vnam eandemq; personam S. Irenæi tempore denotabant, cum ipsius æquales Tertullianus & Clemens Alexandrinus non nisi simplices Presbyteri, ipse autem Episcopus esset? Quòd si quia S. Irenæus Episcopos appellat Presbyteros, nomen generis

[a] *Tertul.l.de Bapt.c.17.*

[b] *Hieron. in Catal. et Alexander Hierosol. apud Euseb.l.6.*

generis eminentiori speciei per excellentiam applicando, (quæ caussa Episcopū Ebroicensem induxit, vt eo loci, quo omnis amphiboliæ occasio tolleretur, *Prélats*, *Prælatis* conuerterit, inde consequitur, S. Irenæi tempore Presbyterum atque Episcopum fuisse eandem rem; Nonne eodem modo concludendum erit, ætate S. Augustini idem sacerdotis & Episcopi officium fuisse, quia dicit, [a] *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede: & in ordine illo Patrum quis cui successit, videte: Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ:* Et iterùm: [b] *Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus commendauit vsque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum.* Nam, quotquot erant *Presbyteri*, nonne ijdem erant *sacerdotes?* Sed de hac velitatione satis: ad veram stabilemque certaminis dimicationem veniamus.

[a] *August. in Psal. contra part. Don.*

[b] *Idem cont. epist. fundament.*

Est falsitas, inquiunt, *in eo, quòd pro, Principali successione, vertit, originariam successionem.* O tempora! ô mores! Pro

Pro eo vt gratiam ijs referant, à quibus ſtylum antiquorum intelligere docentur, iniurijs eos atque calumnijs remunerantur; neq; ſolùm margaritas pedibus conculcant, ſed in eos etiam irruunt, qui ipſis eas ſpargunt [a] *Succeſſio principalis*, (clamat iſte Doctor Apocryphus, F.D.L.M.) *ſignificat ſucceſſionem præcipuam, id eſt, ſucceſſionem veritatis.* At ego dico ſignificare *ſucceſſionem principialem*, id eſt, *originariam*, non, *præcipuam*, id eſt, excellentiorem: vti iam antè Pamelius in libros Præſcriptionum Tertulliani notauerat, hiſce verbis: [b] *Succeſſio principalis ab Irenæi Interprete vocatur, quando ſerie continua, velut à principio ducta, ſecundus primo, tertius ſecundo, quartus tertio, &c, ſuccedit.* Nam in primis S. Ireneo alijsq; iſtius ſeculi Auctoribus familiare fuiſſe, *principale*, à *principio* deriuare, (Græcorum more, qui ex, ἀρχή, deducunt ἀρχαῖος;) vſurpareque vocem, *principale*, per imminutionem, pro, *principiale*, (qua voce Lucretius vtitur, cùm canit,

[a] Exam. F. D.L.M. f. 2.

[b] Pamel. in Tertull. l. de praeſcr. c. 32.

[a] *Lucret. l. 5.* [a] *Scire licet cæli quoq; idem, terræq́; fuiſſe*
Principale aliquod tempus.

Item:

[b] *Idem l. 2.* [b] *Omnis enim, ſenſus quæ mulcet cauſſa, iuuatq́;,*
Haud ſine principali aliquo læuore creata eſt.

Conſtat ex ipſomet D. Irenæo, qui in capite decimo quarto libri quinti, cùm probare vellet aduerſus Valentinianos, Chriſtum Dominum non aſſumpſiſſe carnem cœleſtem & ex ſubſtantia excellẽtiori factam, quàm ſit caro hominum, ſed aſſumſiſſe eandem carnem, quæ ab Adamo traxerat originem; ait: [c] *Nec in ſemetipſo recapitulatus eſſet hæc Dominus, niſi & ipſe caro & ſanguis, ſecundum principalem* (id eſt, principialem & originalem) *plaſmationem factus fuiſſet, ſaluans in ſemetipſo in fine illud, quod perierat in principio* (id eſt, in origine) *in Adam.* Et paullo pòſt: *Caro enim verè, primæ plaſmationis è limo factæ ſucceſſio.* Et iterùm: *Habuit ergo & ipſe carnem & ſanguinem, non alteram quandam, ſed illam principalem* (id

[c] *Irenæus l. 5. c. 14.*

eſt,

eſt, principialem & originalem) *Patris plaſmationem in ſe recapitulans, exquirens id quod perierat.* Conſtat ex Tertulliano, qui fuit S. Irenæo ætate par, & magnus ſuorum verborum affectator, qui in libro de Præſcriptionibus inquit: [a] *Sed ab exceſſu reuertar ad principalitatem veritati, & poſteritatem mendacitati deputandam.* Itemque in libro aduerſus Hermogenem, qui mundũ ex materia præexiſtente factum diſputabat: [b] *Iam nunc ſi principalia* (id eſt, principialia & originalia) *Deo opera cælum & terra ſunt, quæ ante omnia Deus fecit ſuorum eſſe propriè principium, quæ priora ſunt facta, meritò ſic præfatur Scriptura, in principio fecit Deus cælum & terram.* Itemq; in libro de carne Chriſti: *Omnis* [c] *gradus generis ab vltimo ad principalem recenſetur.* Quibus verbis vltimum genealogiæ Regalis Iudaicæ gradum, qui eſt Chriſtus, principali, id eſt originali, qui eſt Ieſſe, opponit. Et in libro de Monogamia: [d] *Quaramus*, inquit, *aliquos originis principes, &c. Habes Aaronem principalem ſacerdotẽ, &c.*

[a] *Tertul. lib. de præſc. c. 31*

[b] *Idem lib. aduer. Hermog. c. 19.*

[c] *Idem l. de carne Chriſti.*

[d] *Idem de Monogam.*

Post vetera exempla originalium persona-rum, &c. Constat ex S. Cypriano, qui Romanam Ecclesiam appellat, *Ecclesiam principalem*, id est, Ecclesiam originalem, & vnde sacerdotij vnitas prodijt. [a] *Nauigare*, inquit, *audet, & ad Petri cathedrã atq; ad Ecclesiã principalẽ, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à Schismaticis, & profanis litteras ferre:* quanquam, si F.D. L. M. *principalem* à *principe* ob *Apostolicæ cathedræ principatum, quem* [b] S. August. ait *in Ecclesia Romana semper viguisse*, deriuare vult, per me licet. Ac deinde, S. Irenæum istic per *successionem principalem*, necessariò non successionem doctrinæ, sed successionem Episcopatus intelligere; ex ipsismet contextus verbis conficitur, quæ sic habent: [c] *Eis qui sunt in Ecclesia Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt: reliquos vero, qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi*

[a] Cypria. ad Corn. ep. 55.

[b] Augustin. epist. 162.

[c] Iren. l. 4. cap. 43.

quasi hæreticos & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos. Nam præterquam quod hæc tria, *successionem ab Apostolis deriuatam, successionem Episcopatus, & successionem principalem*, pro eadem re adhibet; quis non iudicet, cùm hanc disiunctiuam ponit, *eos qui absistunt à principali successione; vel esse hæreticos & malæ sententiæ, vel scindentes & elatos:* nō posse eum per successionem principalem intelligere successionem doctrinæ? Aliquis non Dialectica acquisita, sed communi intelligentia præditus poteritne ferre hanc disiunctiuam; Qui à veræ doctrinæ successione absistunt, aut hæretici sunt, & malæ sententiæ, aut scindentes & elati? Omnis diuisio, cuius genus in vnum partitionis membrorum recidit, nónne ad helleborum, & ad Anticyras remittenda est? Si qui à successione principali absistunt habendi sunt aut hæretici & malæ sententiæ, aut scindentes & elati: nónne oportet esse aliquos, qui à principali successione possint absistere, & nihilominus

minus non ſint hæretici & malæ ſententiæ? Quonam pacto igitur hoc locum habebit, ſi S. Irenæus per *ſucceſſionem principalem* doctrinæ conformitatem cum Apoſtolorum doctrina intelligit? Nónne inde hac noua Logica ſequetur, aliquem à conformitate doctrinę Apoſtolicæ poſſe abſiſtere, neque tamen eſſe hæreticum & malæ ſententiæ? Videamus nihilominus rationes obiectionis illorum in contrarium.

[a] Exá. F.D. L.M.fol.2.

[a] *In Irenæo* (inquit iſte Doctor *in breuibus* F.D.L.M. *)* habetur; *Eis Preſbyteris obaudire oportet, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus. Atqui,* obijcit iſte, *S. Irenæus toto libro nihil aliud oſtendit, quàm conformitatem doctrinæ Patriarcharum & Prophetarum, cum doctrina IESV Chriſti & Apoſtolorum: ita vt ſucceſſionem habere Apoſtolorum, ſit habere doctrinam Apoſtolorum.* Quis neget eum memoriam æquè ac iudicium perdidiſſe, qui non meminerit S. Irenæum non in eo libro profiteri ſe oſtendere, quinam ſint, qui ſucceſ-

ſucceſſionem habeant Apoſtolorum; ſed in libro proximo ſuperiore, vbi integrum peculiare caput, *De ſucceſſione Epiſcoporum in Eccleſijs ab Apoſtolis:* ſcribit, atque illic etiam hoc verbo, *principalitatis*, de quo nūc quæſtio eſt, vtitur? Verba eius ſic habent: [a] *Sed quoniam*, inquit S. Irenæus, *valdè longum eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habent ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præter quàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam.* Iam quomodo S. Irenæus ſucceſſionem Apoſtolorum, & doctrinam veritatis pro eadem re illic accipiet, cùm ſibi non

[a] Irenæus l. 3. c. 1.

alium ſcopum propoſuerit, quàm vt oſtenderet probationem alterius eſſe medium probationis alterius? Et quomodo, *principalitas*, iſto loco *veritatem* ſignificabit, cum in eadem doctrina diuerſæ veritates aliæ alijs potentiores eſſe non poſſint?

[a] *Præterea*, (inquit iſte Doctor anonymus) *S. Irenæus in capite ſequenti, quod eſt 44. triplicem facit ſucceßionis ſpeciem, vnam veritatis, quam principalem facit; alteram perſonarum; & tertiam morum.* Vbi, quæſo, S. Irenæus, toto capite quadrageſimo quarto duas reliquas conditiones tituli ſucceſſionis exprimit? Vbi verò conditioni doctrinæ epithetum, *Principalem*, attribuit? E contrario nónne illud in eodem capite non fidei, ſed ſeſſioni manifeſtè defert, his vtens verbis; [b] *Sed contumelijs agunt reliquos, & principalis conſeßionis tumore elati ſunt?* Et in capite quinto & quadrageſimo, cùm haſce tres conditiones repetit, nónne eas hiſce tribus diſtinctis terminis exprimit, [c] *ſucceßio Apoſtolorum, iuſtitia diſciplinæ*

[a] *Examin. F.D.L.M. fol. 2.*

[b] *Iren. l. 4. c. 44. impreſ. Geneuenſ. & Pariſ.*

[c] *Idem l. 4. c. 45 impreß. Pariſ. apud quos eſt ea, qua eſt ab Apoſtol. Eccle. ſucceßio & id quod eſt ſanũ & irreprobabile conuerſationis et inadulteratũ & incorruptibile ſermonis conſtat.*

plinæ, & doctrinæ puritas? A quonam igitur impetrata poteſtate niſi ab impudentia hic Doctor Eccleſiæ inuiſibilis poteſt caput quadrageſimum quartum producere, vt vocabulum, *principalem*, doctrinæ oſtendat attribui debere, non autem ſeſſioni, cùm in eodẽ capite illud cathedræ S. Irenæus diſertè applicet? Sed Dñs du Pleſſis pluris etiam omnibus ſuis prędicantibus licetur, & inquit S. Greg. Nazianzenum teſtari, ſucceſſionem doctrinæ eſſe principalem. Et ego iterùm dico; vocem, *principalis*, de cuius hîc ſignificatu ſolummodo agitur, in S. Gregorio Nazianzeno non eſſe, quippe qui Græcus non autem Latinus ſcriptor fuerit. Præterea, S. Greg. Nazianz. non comparare illic ſucceſſionem doctrinæ ſeparatim & per ſe ſumptã, cum ſucceſſione cathedræ; ſed ſucceſſionẽ cathedræ & doctrinæ ſimul, cũ ſola ſedis vſurpatione. Agebatur enim vt oppoſitio tacita fieret inter promotionem S. Athanaſij Epiſcopi Alexandrini in ſedem S. Marci, & in-

& inter Georgij Cappadocis intrusionem, qui eandem S. Athanaſij cathedram poſtmodum, latrocinio Arianorum, multipliciq; cæde ac violentia occupauerat. Ipſamet loci iſtius verba ſunt hæc: [a] οὕτω μὲν οὖν καὶ διὰ ταῦτα, ψήφῳ τοῦ λαοῦ παντὸς, οὐ κατὰ τὸν ὕστερον νικήσαντα πονηρὸν τύπον, οὐδὲ φονικῶς τε καὶ τυραννικῶς, ἀλλ' ἀποστολικῶς τε καὶ πνευματικῶς, ἐπὶ τὸν Μάρκου θρόνον ἀνάγεται, οὐχ ἧττον τῆς εὐσεβείας ἢ προεδρίας ἐκείνου διάδοχος. τῇ μὲν γὰρ πολλοστὸς ἀπ' ἐκείνου, τῇ δὲ εὐθὺς μετ' ἐκείνων εὑρίσκεται, ἣν δὴ καὶ κυρίως ὑποληπτέον διαδοχήν. τὸ μὲν γὰρ ὁμόγνωμον, καὶ ὁμόθρονον; τὸ δὲ ἀντίδοξον, καὶ ἀντίθρονον. καὶ ἡ μὲν προσηγορίαν, ἡ δὲ ἀλήθειαν ἔχει διαδοχῆς. οὐ γὰρ ὁ βιασάμενος, ἀλλ' ὁ βιασθεὶς διάδοχος, οὐδὲ ὁ παρανομήσας, ἀλλ' ὁ προβληθεὶς, ἔννομος. οὐδὲ ὁ τἀναντία δοξάζων, ἀλλ' ὁ τῆς αὐτῆς πίστεως. *Iſta*, inquit, *& propter hæc ſuffragio populi vniuerſi, non per cædes, ſeu tyrannicè, ſed ſpiritaliter & Apoſtolicè ad Marci eleuatur thronum Athanaſius, non minus pietatis, quàm præſidentiæ ſucceſſor. Illa enim multis interiectis ab eo, hæc verò confeſtim poſt illum*

[a] Greg. Naz. or. in Atha.

illum inuenitur, quæ & propriè censenda est successio. Hoc enim concordiæ & throni est eiusdem, illud autem opinionis contrariæ, & throni diuersi. Et illa quidem nomen, hæc verò veritatem habet successionis. Non enim cogens, sed coactus est successor. Nec qui transgreditur, sed qui legitimè proponitur. neq; qui contraria sentit, sed qui eiusdem fidei existit. Non igitur illic S. Gregorius Nazianzenus dicere vult, aliũ, qui in serie successionis personalis S. Marci ordinatus aut consectatus nõ fuisset, posse illius auctoritatis ac prælaturæ successorem esse, sub vmbra conformitatis in fide: ita vt cathedræ successio non sit necessaria. Quamobrem enim tum primùm declarasset S. Athanasium ad S. Marci thronum euectum esse, cum Episcopus Alexandriæ consecratus fuit, cùm ille iam antè & in Concilio Nicæno, & alibi tot modis fidem suam probauisset; si, vt successor esset auctoritatis S. Marci, eiusdẽ tantummodo debebat esse fidei? Quamobrem hoc illi potiùs quàm reliquis omnibus Alexandriæ

xandriæ atque Ægypti, imò vniuersi orbis Catholicis, qui in doctrina cum S. Marco conueniebant, deferret? Quamobrem diceret eum esse [a] *non minùs pietatis ipsius quàm prælaturæ successorem*, si sola pietatis successio ad constituendam prælaturæ successionem satis erat? Quamobrem, post illum, hunc Petro Alexandrino titulum, de quo scribit, [b] *ὁ τοῦ ἁγίου διαδόχος ἱερεύς, ὁ νόμῳ καὶ τάξει πνεύματος κεχρισμένος. Sancti illius Athanasij successorem sacerdotem, qui lege & ordine spiritus erat delibutus:* potiùs, quàm reliquis omnibus affectaret? Quamobrem ita crebrò fideles admoneret, [c] *ἕκαστος ἐν ᾗ ἐκλήθη τάξει, ἐν ταύτῃ μενέτω κἂν ᾖ τῆς κρείττονος ἄξιος. ut in qua quisque vocatione vocatus est, in ea permaneat, etiamsi præstantiori ordine dignus sit?* Quamobrem eis toties [d] Δαθὰν καὶ Ἀβειρὼν τοὺς ὑβριστὰς καὶ ἀθέους, ἂν φύγωμεν τὴν αὐθάδειαν καὶ μηδὲ τὴν ἀπόνοιαν μιμησώμεθα μηδὲ τὸ τέλος δεξώμεθα. *Crimen & supplicium Dathan & Abiron* inculcaret, si sola conformitas in fide, ad habendam

[a] *Suprà.*

[b] *Greg. Nazianzen. in Heron.*

[c] *Idẽ ad Iul. trib. ex aq.*

[d] *Idẽ de moder. in disp.*

dam ministerij auctoritatē satis erat? Quamobrem S. Hieronymus ipsius discipulus, de Hilario auctore vnius ex sectis Luciferianorum loquens, diceret: [a] *cum homine pariter interijt, & secta; quia post se nullum Clericum Diaconus potuit ordinare: Ecclesia autem non est, quæ non habet sacerdotes?* Quamobrem huius æqualis S. Optatus Mileuitanus contra Donatistas declamaret: [b] *Vestræ cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare?* Quamobrem S. Chrysostomus vociferareretur: [c] *ἀρκεῖ τοῦτο ἡγεῖσθε, εἰπέ μοι, τὸ λέγειν, ὅτι ὀρθόδοξοί εἰσι; τὰ τῆς χειροτονίας δὲ οἴχεται, καὶ ἀπόλλυται; καὶ τί τὸ ὄφελος ταύτης οὐκ ἠκριβωμένης, ὥσπερ γὰρ ὑπὲρ τῆς πίστεως, οὕτω καὶ ὑπὲρ ταύτης μάχεσθαι χρή. An satis esse putas, quæso te, quod dicis & ipsos orthodoxos esse, cùm tamen interea quæ communem & Ecclesiasticam electionem concernunt, intereant & perdantur? Et quænam fuerit vtilitas, si illa negligatur? Non enim pro conseruanda illa secus, quàm pro ipsa fide pugnari debet.* Quamobrem denique S. Cyprianus

[a] Hier. cont. Lucifer.

[b] Optat. Mileuit. l. 2.

[c] Chrys. in 2. ep. ad Ephes. c. 4. hom. 11.

nus protestaretur: [a] *Nouatianus in Ecclesia non est; nec Episcopus computari potest, qui Euangelica, & Apostolica traditione contempta, nemini succedens, à seipso ortus est?* Sed dicere vult, ex vtroque & S. Athanasio, & Georgio ipsius Antipatriarcha in throno S. Marci re ipsa collocato, altero per consecrationem Episcoporum Catholicorum, altero per ordinationem Episcoporũ Arianorum, qui vtrique ordinis atq; characteris impressionem habebant; iste in S. Marci throno collocatus censeri debebat, qui ad eum iuxta leges receptamq; in Ecclesia rationem peruenerat, ac insuper S. Marci fidem teneret: eamque veram successionem existimandam esse, in qua vna cum legitima sedis successione doctrinæ successio coniungeretur: alteram esse successionem nomine duntaxat, quæ absque hæreditate fidei simplicem cathedræ inuasionem & occupationem haberet. Quapropter Domino Plessio satis esse deberet hunc locũ deprauasse semel [b] in libro contra

[a] *Cyprian. epist. 76. ad Magnum.*

[b] *In præf. 1. ed. fol. 1. b.*

tra Missam, addidisseq; ; *Et non per se-dem* ; neque hanc falsitatem Sophismatis, & Paralogismis coronare.

SEXTVS EPISCOPI Ebroicensis Textus.

VERVM is, qui credit suam fidem conformem esse scripturæ, quia id ipsi Patrum Doctorumq; veterum « ac modernorum Ecclesiæ consensus « persuadet ; quemadmodum ait D. « Augustinus, quod Colles viuunt ex « fide, quia Montes excipiunt pacem: « id est, animæ paruulæ atq; vulgares, « quæ ipsæmet sapientiæ luce non illu- « strantur, veræ fidei professionem am- « plectuntur, eò quòd eam Montium « Ecclesiæ auctoritate atque consensu « firmatam vident; is, inquam, id per « auctoritatem scit. «

Edit. in 8. fol. 114. ed. in 12. f. 123.

OBIECTIO DOMINI du Plessis.

HÆC expositio contraria est verbis S. Augustini. Cùm enim hic dixisset Ioannem esse ex illis montibus, de quibus

Domini Plessis 3. edit. p. 76.

ſcriptum eſt, Suſcipiant montes pacem: adiungit; non nos de illis montibus, ſed ad Euangelium, ad Euangeliſtam. Et antè: Oculos noſtros cum leuamus ad ſcripturas; quia per homines miniſtratæ ſunt ſcripturæ; leuamus oculos noſtros ad montes. Sed tamen, quia ipſi homines, qui ſcripſerunt ſcripturas, non de ſe lucebant; ſed ille erat verum lumen, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, &c.

RESPONSIO EPISCOPI Ebroicenſis.

EGregium verò conatum! Quia Ebroicenſis Epiſcopus dictionem Metaphoricam, *Montes*, generali, quam ei D. Auguſtinus tribuit, definitioni non particulari, cui eam applicat, exemplo accommodatè vſurpat; iſti eum falſi accuſant. [a] *Locus D. Auguſtini* (inquit F. D. L. M.) *deprauatur. Nam montes, de quibus loquitur, non ſunt Doctores veteres aut moderni, ſed Prophetæ & Apoſtoli.* Quid vobis videtur, Lectores? Cùm ergo S. Auguſtinus poſt Ariſtotelem ſcribit ſic: [b] *Eſt igitur vſia propriè & principaliter dicta, quæ neque*

[a] *Examin. F.D.L.M. fol. 166. p. 1.*

[b] *Aug. libr. de decem categor. c. 9.*

que in subiecto est, neque de subiecto significatur: additq; exempli gratia, *vt hic homo, & hic equus*: eróne ego falsarius, si hoc testimonium laudem, ad ostendendum *hunc asinum*, esse primã substantiã, quia neq; est *hic homo*, neq; *hic equus*, quæ duo sola sunt exẽpla, quæ auctor proponit? S. August. in primam clausulam Euangelij S. Ioannis commentans, citauerat hunc Psalmi 71. versum, & personę Euangelistę accõmodauerat; [a] *Suscipiant mõtes pacem populo tuo, & colles iustitiam*: eiq; generalem hanc explicationem addiderat; *Montes, excelsæ animæ sunt*; *colles, paruulæ animæ sunt*: postea denuo propriè eam ad suam hypothesin, nempe ad commendationem personæ S. Ioannis applicauerat. Ergo (concludunt isti) ea non nisi ad solos Apostolos extendi potest. Quid ergo sibi vult id, quod S. Augustinus ibidem scribit: [b] *Sic fuerunt quidam montes, & magni apparuerunt inter homines; & fecerunt hæreses, & schismata, & diuiserunt Ecclesiam Dei. Sed isti qui diuiserunt Ecclesiam*

[a] *Idem in Euang. Ioannis, tract. 1.*

[b] *Idẽ paullo pòst.*

ſiam Dei. Sed iſti qui diuiſerunt Eccleſiam Dei, non erant illi montes, de quibus dictum eſt, ſuſcipiant montes pacem populo tuo: Etenim, ſi montes illi, qui fecerant ſchiſmata & hæreſes, ideo è numero montiũ excludebantur, qui per pſalmum 71. deſignati erant, quòd pacẽ non conſeruaſſent, ſed Eccleſiam diuiſiſſent; nonne inde ſequitur non eſſe S. Auguſtini intentionem ſententiam hanc ad ſolos Apoſtolos reſtringere? At obijciunt S. Auguſtinum, cùm in eãdem rem paullo pòſt hunc pſalmi 121. verſiculum allegaret, *Leuaui oculos meos in montes*; ſcribere: [a] *Ad me aures, ad illum cor leuate, vt vtrumq; impleatis. Ecce oculos veſtros & ſenſus iſtos corporis leuatis ad nos: nec ad nos; non enim ſumus de illis montibus:* atque inde concludunt; quandoquidẽ S. Auguſtinus de illis montibus non fuit, ſententiam hanc ad ſolos Apoſtolos, non autem ad alios Doctores ac Prædicatores extendi poſſe. Quaſi verò hæc verba; *Ad me aures, ad illum cor leuate, vt vtrumque impleatis*; non oſten-

[a] *Idem ibid.*

oſtenderent D. Auguſtinum de illis montibus eſſe, de quibus Pſalmiſta loquitur: quandoquidem aures ad S. Auguſtinum leuando fieret id, quod iſte pſalmi verſiculus habet; Leuaui oculos meos in montes. Nam quòd deinceps adiungit; *Nec ad nos, non enim ſumus de illis montibus:* quis non videt eam eſſe humilitatis ac modeſtiæ, nõ diſſenſus ac retractationis correctionem? Verum, libetne re vera ſcire, quo ſenſu D. Auguſtinus vocem iſtã, *Montes*, in hoc pſalmi 71. verſiculo accipiat; *Suſcipiant montes pacem populo?* quæſtionis deciſionem hauriamus ex ipſa ſcaturigine, atq; ipſa verba commentarij D. Auguſtini in eundẽ pſalmum videamus. [a] *Suſcipiant*, inquit, *montes pacem populo, & colles iuſtitiam: Montes* (adiungit) *maiores ſunt, colles minores.* Et paullo pòſt: *Excellenti ergo ſanctitate eminentes in Eccleſia, montes ſunt; QVI IDONEI SVNT ET ALIOS DOCERE.* Et iterùm: *Excellentes quippe in Eccleſia, paci debent vigilanti intentione conſulere: ne propter ſuos*

[a] *Idem in pſalm. 71.*

 honores

honores superbè agendo schismata faciant, vnitatis compage dirupta. Qui sunt porrò isti de quibus Timotheo S. Paulus dicit; [a] *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, QVI IDONEI ERVNT ET ALIOS DOCERE:* Soline Apostoli, an autem Pastores & Doctores ordinarij? Et quinam sunt isti, qui paci debent Ecclesiasticę consulere, neque superbè agere, ne ambitione sua schismata in Ecclesia faciant, soline Apostoli, an autem Pastores & Doctores ordinarij? Et nihilominus iste extraordinarius Doctor, qui intus post sipariō concionatur, Episcopum Ebroicensem admissæ falsitatis accusat, quòd vocabulum, *Montes*, ad sanctos Patres & Doctores antiquæ Ecclesiæ extenderit: atque adiungit, pro extrema ratione S. Augustinum in psalmum 103. dicere; *Montes esse Apostolos.* Neq; videt, adeo densa ei tunica oculos obtexit, S. Augustinum non ex psalmo 103. sed ex 71. verba, quæ in hoc testimonio adhibentur, depromere: ac proin-

[a] 2. Timoth. cap. 2.

proinde ex commentario nō in psalmum 103. sed 71. interpretationem illorum ducendam esse. Sed hoc Terentij prouerbium, oraculum est, *Homine indocto nihil est iniquius.*

Habetis, Lectores, istorum sex locorum purgationem, quæ Dominus Plessius, aut potiùs, qui ipsius calamo abutuntur ex omnibus testimonijs, quæ in libro de vocatione Episcopus Ebroicensis laudauerat, tanquam exempla & specimina falsitatis, delegerant: ac simul etiam omnium articulorum Narrationis Domini Plessij, à primo ad postremum, cōfectam atq; expeditam confutationem. Nam quantum attinet ad præludia, interludia, atque epilogos Rhetoricos, quos ipse varijs locis miscet atque interponit, meræ sunt querimoniæ, lamentationes, ac næniæ; quibus Episcopus Ebroicensis non plus responsi quam remedij dare, meditatur.

Conqueritur primò, vt à capite incipiamus, de iustitia & æquitate Regis, cui cùm ab vtroque litteris supplica-

Dom. Pless. 3 edit. p. 8 9. 10. 16 19. & alibi.

plica-

plicatum fuisset, quibus vehementissimè ipsius assensum Colloquio contendebant, eoque impetrato, ac loco, tempore & personis in hunc finem designatis ipse tamen, cùm ad rem ventum esset, permittere noluit, vt illud tantisper intercideretur, dum de modo, ratione, ac conditionibus colloquendi tractaretur, id quod Dominus Plessius futurum cogitabat: Et hoc ille vocat (nam hoc est, quod sub aliorum verborum inuolucro cõtectum intelligit) fauorem erga Episcopum Ebroicensem, & negotium ex composito gestum ad gratificandum Pontifici maximo. Et tamẽ placebit Regi sibi in memoriam reuocare, se apud Ebroicensem Episcopum, cùm ab eo postridie conueniretur humanissimis excusationibus vsum esse, quòd cum deteriore ipsius conditione collatum fuisset; eiq; palam ac publicè dixisse, quemcunque fauorem ac potiora omnia, quæ disputanti alicui concedi possent, Domino du Plessis reuera fuisse concessa, ne ipsi

ansa

ansa aliqua daretur institutum congressum interrumpendi: melius tamen hoc pacto successisse negotium: eo quòd sic integram sibi victoriam vnica veritas vindicaret.

Quin ipsemet Dominus Plessius meminerit se scripsisse, Reuerendiss. Dominum Nuncium, cùm Regi deliberatum intellexisset curare, vt hęc Collatio institueretur, ipsius Maiestatem conuenisse, vt ei rei obuiam iret, eamq́; planè euertere conniteretur. Qui malus est color Rhetoricus ad persuadendum, rem ex compacto gestam, ad Papę gratificandum, cùm ipsius Nuncius, quem tali in negotio præ cęteris omnibus consulere oportuisset, ei nec conscius nec consentiens esset. Itemq́; Aula vniuersa recordabitur, ipsos duos annos abijsse, dum Episcopus Ebroicensis nec Regem viderat, nec eo honore affectus fuerat, vt vel litteras ab ipso acciperet: Contrà verò, Dominum Plessium, toto illo tempore, à sua Maiestate vix vnquam discessisse, eiq́; etiã

Dominus Plessius 3. edit. p. 7.

tum adfuisse cùm ad Episcopum Ebroicensem prouocandũ misit. Quapropter non potest, quin boni Aulici, æquè ac boni Theologi nomen amittat, Lectorib. imponere, Ebroicensem Episcopum meliùs quàm se statum ac conditionem negotiorum Aulicorum debuisse scire: multoque minùs eis persuadere, inceptum, cuius ipse inuentor & procurator erat, & cuius, cùm id ille primùm proposuit, neque Regi, neque Episcopo Ebroicensi vnquam in mentem venerat, conspirationem esse ad eum Papæ sacrificandum immolandumque excogitatam.

Dominus Plessius 3. edit. p. 77.

Conqueritur de ea epistola, quam hac de re Rex ad Dominum Spernonium paullò pòst scripsit: quam ille scintillam in omnem ventum coniectam vocat; magnoq; excitando incendio idoneam fuisse insinuat. Et tamen nihil ea suauius, nihil prudentius, nihil temperatius fieri poterat; nihil pium magis aut religiosum: nihil erga vtrosq; subditorum suorum amore

amore charitateque plenius: Atque vna hac clausula excepta,[a] LE DIOCESE D'EVREVX A VAINCV CELVI DE SAVMVR, *Diocesanus Ebroicensis vicit Diocesanum Saumuriensem*, quæ ad summam causæ non pertinebat, vt ipsemet Dominus Plessius initio Collationis protestatus fuerat, in ea nihil inerat, quod vrere eum posset. Verùm si Rex, ob hanc iustam ęquamq; sententiam aliquid gratiarum Domini Plessij perdidit, facilè id & in huius sæculi gratia, & in posteritatis reuerentia cum fœnore recuperabit. Hoc enim celebre psephisma inuicta tanti Regis manu cōscriptum, in signum sapientiæ ipsius, in omnibus historiarum futurarum voluminibus ac monumentis, velut oraculum, incisum hærebit; eiusq; Maiestatis memoriam cum beata Constātinorum, Theodosiorū, Marcianorum, Carolorumq; Magnorum memoria collocabit.

[a] *Indicium de successu Collationis manu Regis conscriptum.*

Conqueritur de Domino Cancellario, additq; illum hæsitatione orationis

Dominus Plessius 3. edit. p. 17.

tiones (grauitatem debebat dicere) ſecretam ſibi ſeueritatem oſtendiſſe. Et tamen Domino Cancellario placebit in mentem ſibi reuocare, ſe poſtridie Ebroicenſi Epiſcopo, cùm ab eo inuiſeretur, dixiſſe; Deberemus à vobis petere veniam iniuſtitiæ, qua erga vos vſi ſumus: Multo enim pronunciare ſeuerius & poteramus, & debebamus, quàm pronunciauimus: Sed quod nos fecimus, bona intentione fecimus, & vt animos delenire-mus potiùs quàm irritaremus: Et quod iudicatum eſt, communi omnium Arbitrorum conſenſu iudicatum eſt; *nemine diſſentiente.*

Dom. Pleſſ. 3. edit. p. 65. & 66. & in alio ſcripto de eodem argumento poſtmodum impreſſo.

Cõqueritur de Dominis Arbitris: & in hoc vno excuſationem aliquam, quoad primam hebdomadem, haberè videri poterat. Aiunt enim licere ei, qui litem amiſerit, octiduo proximo pòſt de Iudicibus ſuis conqueri. Attamen nemo inter omnes fuit, qui non ipſi aut intima admodum amicitia, aut eadem Religione coniunctus eſſet, Domino Martino excepto, quẽ

Rex

Rex vna cum Cazaubono nominauerat, quique antea æquè parùm Episcopo Ebroicensi, qui nunquam ei ter locutus fuerat, quàm Domino Plessio notus erat.

Conqueritur de forma actionis, dicitque suum librum non fuisse illius conditionis, cuius est aliquis cõtractus, qui ob formulam quampiam vitiosam inualidus redditur, sed cuius est aliqua Inquisitio, in qua depositionum aliquarum vitium, quo minus reliquarum probatio valida sit, non efficit. Ita est: Sed quando is, qui inquisitionem instituit, (Nam ego hîc Dominum du Plessis ipsiusq; Ministros pro vnica persona accipio) ipsemet depositiones testium adulterauit, quidnam & de ipsa inquisitione, & de eo, qui eam instituit, iudicatur? Præterea, nonne ei Episcopus Ebroicensis obtulit, postquam ipse articulorum, qui falsi arguebantur, imposturam aut purgasset aut agnouisset, se defensoris partes susceptururum, omnesq; eos, quos ille ex omnibus

Dominus Plessius 3. edit. p. 10.

bus

bus ceu neruosissimos delegisset, dissoluturum, eos ostendendo aut nihil ad rem facere, aut inutiles esse?

Dominus Plessius 3. edit p. 1. & in alio scripto postmodum edito sub titulo, Admonitionis, p. 7. & alibi.

Conqueritur de numero locorum, quæ cum libris, vnde desumpta erãt, collata fuêre, dicitq; non nisi nouem fuisse examinata. Ecquis obstitit? Animaduertite, Lectores, facetam querimoniam. Dominus Plessius scripto ad Episcopum Ebroicensem misso eum ad examen de libro suo secum ineundum prouocat. Episcopus Ebroicensis conditionem amplectitur, paratumque se offert ad quingenta testimonia corrupta in eo ostendenda. Dominus Plessius delationem admittit, instatque ad illius probationem faciendam. Episcopus Ebroicensis comparet. Rex locum, tempus, atque personas assignat. Ita conuenitur, vt Episcopus Ebroicensis quingẽta loca decem diebus proponat, quot diebus quinquagena. Episcopus Ebroicensis ob caussas in Actorum narratione commemoratas primo die sexaginta proponit, ad

quæ

quæ omnia Dominus Plessius promittit se paratum fore postridie. Cũ hora dusputationis aduenisset, negat ille se otium habuisse plura quàm nouendecim cum suis fontibus conferendi, quæ ille pro suo commodo hinc inde selegerat: Sed de his coram Rege protestatur se & honorem & vitam velle perdere, si vel vnicus fallaciter à se productus reperiatur. Venitur ad rem. Tempus matutinum, & partim pomeridianum in apparatibus formalitatibusque consumptum non potuit permittere, vt plura quàm nouem examinarentur. Ne vnus quidem reperitur verus. Partes in posterum diem ad collationem reliquorum prosequendam remittuntur. Dominus Plessius, seu quia non satis paratus erat, seu ob aliquam aliam caussam accidit, morbo corripitur, atque in copiosos vomitus terroresque membrorum incidit. Mittit, qui suo nomine ab Episcopo Ebroicensi comperendinationem petat. A Rege potestatem impetrat

Parisios

Parisios reuertendi; Suæ Maiestati pollicetur, Domino Cancellario, Episcopo Ebroicensi, se Parisijs antè non discessurum, quàm eos de suo statu certiores faciat. Parisijs, curatur. Eò Aula aduenit. Ille quotidie hospitium mutat, non nisi de nocte ambulat, nemini se ostendit: Parisijs proficiscitur, non petita à Rege facultate, insalutato Domino Cancellario, nulla de re sua Episcopo Ebroicensi certiore facto: ac tum denique in suis lamentis hoc ponit, ex locis suis non nisi nouem examinata fuisse. O fidem Dei atque hominum!

Dominus Plessius 3. edit. p. 68.

Conqueritur de qualitate Auctorum, qui ad tribunal adducti sunt, dicitq; , pro Eucharistia solummodo Scotum & Durandum examinatos. Eccuius culpa? Ebroicensis Episcopus in illis sexaginta, aut vno & sexaginta (nam qui ea descripsit, non exactè numerum obseruauit) primi diei testimonijs, ex omnibus auctoribus, omnibusque materijs quædam notauerat, vt disputationum varietate au-

ditorum

ditorum fastidium vitaretur: Et inter cætera de Eucharistia complura testimonia consignarat aut cusa & ficta, aut corrupta ex antiquis Patribus, vt S. Irenæo, S. Cypriano, S. Cyrillo Hierosolymitano, S. Chrysostomo, S. Cyrillo Alexandrino, & alijs similibus. De eodem argumento etiam tria ex recentioribus auctoribus Latinis notauerat. Primum erat ex libro, qui inscribitur, *Opus Caroli Magni*, abhinc circiter octingentis annis cõscriptus: idq; horrendum in modum deprauatum, id est, more Domini du Plessis, cui non satis est efficere, vt auctores id dicant, quod non dicunt, sed efficit etiam, vt eius quod dicunt, planè dicant contrarium. Nam ecce tibi, vt ille eum citat. *Carolus Magnus, in suo libro aduersus Imagines, scribit*: *DOMINVM NOSTRVM NON ALIAM SVI IMAGINEM QVAM IN SANCTA COENA RELIQVISSE.* Et ecce tibi ipsamet loci verba. [a] *Nec nobis legis transeuntibus vmbris imaginarium quoddam indicium*, (id est, quod locum

[a] *Opus Caroli Magni, lib. 4. c. 14.*

cum imaginis teneret) *sed sui sanguinis & corporis contulit sacramentum. Non enim sanguinis & corporis Dominici mysterium imago iam nunc dicendum est, sed veritas; non vmbra, sed corpus; non exemplar futurorum, sed id quod exemplaribus præfigurabatur.* Et iterùm: *Nec ait, Hæc est imago corporis & sanguinis mei; sed; Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: &, Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Alterum fuit Scoti: & tertium Durandi, superiùs examinata: qui soli duo è Scholasticis fuêre, quos in hac materia Episcopus Ebroicensis citauerat, vt lectores iudicare possent, qua fide Dñs Plessius antiquos Doctores tractaret, quãdoquidem ipsismet Scholasticis, qui ex deliberato proposito eius doctrinam refutauerant, imponere id auderet, quod impugnabant. At Dñs Plessis cætera omnia de Eucharistiâ testimonia seposuit ac reiecit, & ea sola Durãdi & Scoti selegit: Et nunc queritur in materia de sacramento non nisi Scotum & Durandũ

exami-

examinatos fuiſſe, vociferaturq́; ſcriptores nō eſſe huiuſmodi, quorū auctoritate, quidquid tandem ſcripſerint, fulciri Miſſa poſſit. Nónne hoc diceretis eſſe ſomnium?

Conqueritur de cōſecuta Epiſcopi Ebroicenſis inſolentia, quē ille nouū Herculem ab Inferis reuerſum appellat, alterum exiſtimatione Goliath, & huiuſmodi alijs aulicis vrbanisq́; titulis exornat: dicitq́; eum ſibi ceciniſſe aut ab alijs vbiq; cantari curaſſe pæanas & triūphos huius victoriæ. Et tamē viginti millia teſtium ſciunt, Epiſcopo Ebroicēſi, in omnibus concionibus, quas conſecutis diebus Pariſijs habuit, quò incredibilis & prodigioſa populi copia affluebat, nunquam vel verbulum ſeu de Domino Pleſſio, ſeu de Collatione excidiſſe.

Dom. Pleſſ. 3. edit. p. r. & 68.

Conqueritur deinde de vniuerſis Catholicis in genere, eoſque dicit ex Muſca Ebroicenſis Epiſcopi, Elephātum feciſſe. Reuera non fuit ea actio niſi muſca, eo quod Dn̄s du Pleſſis ſe inde ſubduxit: At ſi ille permanſiſ-

Dom Pleſſ. pag 77.

ſet, fuiſſet Elephas, & quidẽ ex maioribus. Nã & quantitas & qualitas falſitatũ libri tam enormis & monſtroſa patuiſſet, vt vix Elephanti nomine exprimi potuiſſet, ſed aliud vaſtioris cuiuſdam molis animal excogitandum fuiſſet.

Tandem breuiter, de toto mundo conqueritur, eo excepto, de quo vno conqueri debebat, nempe de ſeipſo, qui in illud mare, in illum Oceanum, in illam ſe Theologię abyſſum conie-cerit, abſq; vllo apparatu ſtudiorum ac rerum ad tam amplam tamq; profundam ſcientiam neceſſariarum, teſtibus tot puerilibus ac ridiculis ineptijs, quas paſſim committit. Vt cum ex [a] Paula Matrona Romana, facit B. Virginẽ: [b] ex Religioſo Abbatis Theodori, de quo loquuntur Sophronius, S. Damaſcenus, & Concilium Nicænum alterum, fœminam tentatam à Diabolo: [c] ex Monacho S. Benedicti, de quo loquitur S. Greg. Magnus, fœminam mortuam: [d] ex illa infantula in cunabulis, de qua S. Cyprianus in Tracta-

[a] Dom. Pleſſ. l. contr. miſſam 1. edit. p. 583. l. 26.
[b] Pag. 234. l. 19. Sophro. vel Moſchus in prato ſpirit. Damaſ. de imag. or. 1 Conc. Nicæ. 2. Act. 4.
[c] Pag. 93. l. 25. Gregor. Dial. libr. 2. cap. 24.
[d] Pag. 46. lib. 21.

Tractatu *de lapsis*, mulierem à Dæmone possessam: [a] ex leproso Samaritano, viduam Samaritanam: [b] ex Dauide, Apostolum: [c] ex homine impio à Psalmista descripto, IESVM Christū: [d] ex [d] B. Virg. Maria, S. Franciscum: [e] ex Iodoco Clithouco, S. Cyrillum: [f] ex Erasmo, S. Greg. Magnum: [g] ex Volaterrano, S. Greg. Nazianzenū: [h] ex Balco Prædicāte Anglo, Bedam: [i] ex Euagrio Prætore, Euagrium Monachum: [k] ex Theophilo, scriptorem Arianum: [l] ex postremo Concil. Moguntino, sub Carolo V. habito, primum habitum sub Carolo Magno: ex [m] Crispo Cæsare, Constantinum Magnum: [n] ex Ioanne Portuensi, qui primus Missam latinā Constantinopoli celebrauit, Papæ Agathonis, & Papæ Gregorij septimi Suffraganeū, quorum alter ab alteró amplius quadringentis annis ætate distat: [o] ex Synesio Cyrenensi Ægyptio, Synesium Damascenum Syrum: [p] ex Euangelio S. Lucæ, Euangelium S. Thomæ: [q] ex glossa decreti, textum: [r] ex doctrina

[a] *Pag. 358. l. 30. & pag. 395. lin. 18.*
[b] *Pag. 612. l. 18 & 9.*
[c] *Ibidem.*
[d] *Ibid.*
[e] *Pag. 403. l. 9 et p. 627. l. 11.*
[f] *P. 87 l. 24.*
[g] *P. 157 l. 18.*
[h] *Pag. 11.*
[i] *Pag. 596. l. 18.*
[k] *In præfat. fol. c 8*
[l] *Pag. 247. l. 14.*
[m] *Pag. 208. l. 29.*
[n] *Pag. 123. & 852.*
[o] *Pag. 319. l. 26.*
[p] *Pag. 779. l. 8.*
[q] *Pag. 805. l. 24.*
[r] *In præfat. fol. a. 6. l. 1.*

diuinitatis Christi, hęresin: [a] ex communione ὁμουσίων, id est, eorũ qui Christum esse Deum asserunt, aciem Antichristi: [b] ex farina oblata in sacrificio leprosi, vaccam: [c] ex libellarijs, seu libellorum supplicum præsentatoribus, eos qui sacros codices, vt cõburerentur, tradebant: [d] ex sanctione decretorum Ecclesiasticorum, dedicationem Templorum: [e] ex euasione naufragij, applicationem Epistolarum S. Pauli ad morborum medelã: ex [f] Eulogia mystica, Incarnationem Christi: [g] ex depositione Ignatij, depositionem Imaginum: [h] ex inuasione hæreditatum, peccatum Sodomiticum: infinitisq; huiusmodi alijs ineptijs, quarum enumerationem Epilogi breuitas non fert: & quæ, pro eo ac vigent florentq; hodie bonæ litteræ, cadere non possunt in ingenium tractãdis libris assuetum, eo quòd eæ vel ex se ipsæ ita conspicuæ sunt, vt in eas ánte ipsum offenderit nemo, vel eorum censuris, qui in istis decepti sunt, ita illustratæ, vt earum sit ignoratio

[a] Ibid. lin. 2.
[b] Pag. 776. l. 13. ex Veter. Vers. σεμίδαλις, pro δάμαλις
[c] Pag. 496.
[d] Pag. 194. l. 15. ex Vet. Ver. Musc. κανονίζειν, p. ἐγκαινίζειν.
[e] Pag. 597. lin. 18
[f] Pag. 808. lin. 20
[g] Pag. 241. l. 26.
[h] Pag. 336. lin. 21.

ratio quàm aliarum turpior: quarum tamen omnium, quo modo hic adnotatæ ſunt, ne vnica quidem ipſi in ijs quingentis articulis, qui falſi arguuntur, connumerabitur.

Contrà Epiſcopus Ebroicenſis nõ niſi de vna re conqueritur, nimirum, de eo, quód Dominus Pleſſius ſua fuga veritati victoriꝑ cumulum ſuffuratus ſit, aut ſuffurari ſe exiſtimauerit. Quapropter eũ prouocat ad denuo comparẽdum ſeq; ipſum ſiſtendum, vt duorum & quinquaginta articulorum, quos à primo congreſſu reliquos ſecum ipſe abſtulit; & poſt eos, quadringentorũ ac quadraginta cæterorum examen ſuſtineat: aut certè ad ſe ſe veritati dedendum, agnoſcẽdumq; ſeu confeſſione ſua, ſeu ſilentio ſuo, Epiſcopũ Ebroicenſem ſponſione ſua exſolutum eſſe. Cùm enim Epiſcopus Ebroicenſis prouocationẽ Domini Pleſſij ad ingrediẽdum cum eo in libri ipſius examen admiſerit, atq; in eo quingenta falsò allata teſtimonia oſtendere ſpoponderit: & Dominus

minus Plessius accepta sponsione eũ ad congrediendum euocauerit: Et Episcopus Ebroicensis comparuerit, dictaq; sua facto & reipsa in ijs, q̃ Dominus Plessius ipsemet delegerat, tanquam ea, quæ extra omnem reprehensionis aleam essent, confirmauerit: Et Dominus Plessius post hanc primam stragem disparuerit, & salute non dicta, ne de reliquis certamẽ experiretur, profectus sit; debet Episcopus Ebroicẽsis coram Deo & hominibus censeri integrè sponsioni suę satisfecisse, quoad Dominus Plessius ad id, quod illius reliquum est, exigendum prosequendumq;, se denuo stiterit.

F I N I S.